
A TEMPO ◊ A TEMPO
CHI SA SA E CHI NON
SA SU' DANNO
EX
LIBRIS
SER
U. MANGANELLI

CHIRON

ACHILLIS.


IHS
CHIRON
ACHILLIS,
Siue
Nauarchus humanæ Vitæ
Emblemata Moralia
Io: Francisci Bonomy.
Medys tranquillus in undis.

Io: Francisci Bonomij Bononiensis


CHIRON ACHILLIS, SIVE NAVARCHVS HVMANÆ VITÆ,

Morali Emblemate geminato ad felicitatis portum perducens.

Ad Nobilissimam, ac Sapientissimam

IESV SOCIETATEM.

Aduersa Animi,



remedia Animæ.

BONONIÆ M. DC. LXI.

Typis HH. de Duccijs. Superiorum permissu.



VNIVERSIS E' SOCIETATE IESV Patribus amplissimis

Io: Franciscus Bonomius

FELICITATEM.



VObis, Integerrimi PATRES, Eruditissimi terrarum Chirones, non minùs Sapientûm in Athenæis, quàm in penetralibus Regum securos vbique immortalitatis ardores in Achilleos animos spirantes, se quoque meus CHIRON ACHIL-

LIS imbuendum tradere non erubeſcit. Imò potiùs erubeſcit, cùm, Veſtri licèt Nominis amplitudine decoratam deferens frontem, ad lucidiſſimum Veſtræ nunquam aberrantis prudentiæ iubar, vel Veſtrorum amictuum nobilitate, nequeat errores obtegere. Verùm vulgari Mundo clariùs hos lætatur niteſcere; ne magnam primo aſpectu admirationem excitare, maiores inde excitaturus cenſuræ cachinnos, videatur optaſſe. Satis .n. ſuperq; illa duo circunferuntur Adagia, inſcriptionem .ſ. qua Cæſareæ Ceruæ caput exornabatur, inertes Clodianæ Simiæ geſticulationes à deriſionibus ſeruare

uare

uare intaminatas, neque Leonis Nemei exuuias Sileni vectorem ab illusionibus valuisse tueri. Et nonne ante Phæbeos vultus, vt caliginosæ laterent erratorum nubes, dementis animi se foret exponere? Ad IGNATIADVM ergo faces longè, latèque collucentes venerabundus, vt in lucem prodeat, accedit NAVARCHVS; ad imperturbabilis Vestrę humanitatis allabitur sinum, vt, si quas Virtutis vexerit gazas, quæ Cæsarum sunt Cæsaribus reddantur; atq; tot erroribus actus, placidoque tandem IESV fretus sidere, inconcussâ perfruatur quiete, longèque Zoilorum Scyllas impunè despiciat obstre-

pentes. Hæc igitur, qualiacunque ſint, inſectamenta monſtrorum (Vitiorum dico) quæ haud in Syluis, ſed in Vrbibus paſſim degentia, non telis, ſed calamis inſectatus eſt CHIRON, non inconſonè Vobis deuoueo, qui de illis magis magiſque in dies magnos reportatis triumphos. Hæc quidem Vobis (quibus maximè teneor) gratitudinis neceſſitate, aut debito meæ erga Vos beneuolentiæ (quæ omnem excedit terminum) conſecrare non audeo; quippe vectigal afferre imperfectum, potiùs eſt meritum amittere, quàm beneficiorum memoriam fateri; & genij impetu res emiſſas, animo longè

infe-

inferiores largiri, potiùs eſt paſſioni cedere, quàm rationabiliter operari. Cæterùm intelligat Orbis, hæc eadem me Vobis dicare, non vt veſtris virtutum approximata nitoribus, ſpectabilia magis efficiantur, aut veſtris adnexa trophęis, ad immeritam ſpectantes excitent laudem; nanque mei ex oppoſito defectus ſic clariùs eluceſcerent. Verùm ob id ſolùm Vobis hæc nuncupare conteſtor, quòd omnia propter magna, quæ in Vobis eminent merita, quacunq; maiori dedicatione dignos Vos fateor. Atque id prudenter perago, vt in hoc ſaltem ad eam (quæ meo deeſt libello) ad vos accedendo, acce-

dam

dam perfectionem, quos omnium Ingeniorum admiror Subiecta, Religionis Specula veneror, & Catholicorum Gemmas intueor Diademmatum. Valete in IESV, inexsiccabiles altissimæ Sapientiæ fontes.



LE-

LECTORI OVIDIVS MONT'ALBANVS,

Vtriusq; Liberalium Artium Collegij Bonon. Decanus, &c.



L*itterarios hosce tibi lege, innocentesq; carpe fructus, dilecte LECTOR, & eruditissimum Virum* Io: Francilcum Bonomium *non vnius, sed compluriu m CHIRONEM Heroum doctissimũ ingeniosissimum comperies. Dicesq; verè quod in Græco fertur adagio* ἄλλην δρῦν βαλάνιζε; *Quæ minimo vel obitu* gran-

grandia hîc Immortalitatis perſpicies Artificia, ea ingentem Auctoris Ingenij ſublimitatem indicare quidem valent, ſed eiuſdem, vndè impenſiùs admirere, doctrinæ profunditatem ex æquo haud oſtendent, nî paucula hæc præmonita tibi adaperiantur. Scito igitur Libri huiuſce liberrimum, egregiumque vndequaq; Scriptorem de ſtudijs, ſtudioſiſque omnibus benè mereri ſemper ſtudentem immanes Libitinæ minas, quibus illius domeſticæ non ſolum, ſed Hygeiæ intimioris fortunæ periclitari ſæpius viſæ sũt, in tui commodum animosè ſpreuiſſe, fortiſsimèq; ſuperaſſe, & aliquot annorum laborioſa vacuitate impleta, hunc tibi nunc typicè oblatum

ma-

maturasse Librum, ut benigniori fortè temporis beneficio cætera quoq; magna ex parte efformata eodem in genere perficiantur. Eundem interim Scriptorem calami potentem agnosces, Musarum ceu fratrem Heliconicolam fateberis, Cœloq; Sapientiæ dignissimum efferes; ille nanque veram Salutem *non* Nubibus *opertam, sed cunctis amabilem, cunctis spectabilem suauissimè reddidit. Omnium itidem affectuum, & passionum* Habenas *cohibere, & regulare facillimè demonstrauit; stimulanti ad rectè, beatèq; viuendum* Calcari *obedire clarissimè ostendit, & in summa* Mortem *seriò deludere, verèq; remorari,* Palmis *gloriosè*

dite-

ditescere, tristesque Rhamnusidis iras extinguere Emblematica Moralitate pretiosissima, & plusquam aurea certissimè, & infallibiliter docuit. Nec deerunt, crede mihi, styli venustissimæ intercisiones iudiciosæ soliditati iunctæ, quibus mirum in modum recreaberis, bonoq; immò optimo vndiq; affluent omine elegantissimè obsequiosa vitæ melioris præcepta vincere, & vincire animos sueta. Extra omnem aleam senties particulatim scitissimam Aeris inuentionem, geminatum Epigraphes ordinem, ac ipsum Emblema non solùm prosaica incomparabilis lepòris eruditione viuaciter extensum, sed stricta quoq; Distichi breuitate redupli-

dupli-

duplicatum admirabilissimè. Vnumquodq; Emblematum Auctoritatibus coloratum nobilissimis, & Sententijs irrefragabilibus vallatum, innixumq; supremam connexam in se voluere vtilitatem inuenies. Materiam discursuum binis continuò exemplis à contrario desumptis fœcundatam, siue in re acta, siue in re cognita simpliciter, vel mixtim tanquam matrem doctrinæ vberioris, amabilioris suspicies, veneraberis. Si quam fortè semel excisam in Carmine licentiam, quoque exemplo fauorabili condonabilem, inspexeris, tuum erit & Versus angustiæ, & Sensuum amplitudini eam remittere. Omni procul obscuritate res cognitæ

in

in Imaginibus amplissimam, generosè non minùs, quàm luculenter euocantur in lucem. Ponderibus librata suis Sententiarum grauitas, conceptuum plurimorum grauida si delibetur, noua semper pariet mōstra Virtutum in hoc Opere. Libri mox Titulus sublimi ferit sidera vertice, probatissimisq; vocabulis, quæ continet, immortalitatem prouocat amicissimè ad maliuolorum, si qui sint, vocalitatem obruendam, inuidiamq; liuore leuandam. Tuos ergo iustissimos nè deneges plausus, qui metas pellant efficaciter sequentium Librorum, iuxta eiusdem Scriptoris in hoc Volumine Catholicæ mentis professionem *edendorum. Sin-*

ceris-

cerisſimum tuum huiuſmodi fore iudico iudicium, in quo Pes & Caput vni reddantur ſpecioſiſsimæ formæ. Vale.




D. IOSEPHI BAPTISTÆ.

Consideratur Pars Tituli inscripta Nauarchus humanæ Vitæ.



NVlla tenebrosis quanquam turbata procellis,
Te Duce, Christiadum naufraga puppis erit.



P. HIP-

P. HIPPOLYTI
GRASSETTI
E' SOCIETATE IESV.

In Epigraphen Libri Emblematum Moralium.

BONOME, Phillirides quod Achilli contulit vni,
E' Libro referent postera secla tuo.

Si semel effrænum domuit mare Typhis, in æuum
Fræna aliud capiet, te domitore, mare.

Heroas geminos in te qui colligis vno,
CHIRONA, & TYPHIN, BONOME, quantus eris?

EM-

EMBLEMATVM
LEMMATA
BIFARIAM VARIATA.

I.

PAruis magna nitent.
Virtute præuia.

II.

Semper in altum.
Summa petit Virtus.

III.

Vigilandum.
Quomodo dormias disce.

Ho-

IIII.

Hodie ſapere eſt ſibi conſulere.
Moneta ſcientia Vulgi.

V.

Cuſtos, non Dominus.
Nè vltra munus.

VI.

Alta ruinas.
Quò ſummiùs, dubiùs.

VII.

Dat, & non habet.
Roſtro, non mente.

VIII.

Tẽpore diminuere eſt augere.
Adime, creſcet.

IX.

Opportunè, ſi non ſanè.
Conſilijs ſupplet tempus.

X.

Ab externis interna.
Forma dat eſſe rei.

XI.

Huic credas.
Vera vita mortis ſpeculatio.

Non

XII.

Non ſemper vires.

Nè quidquam temerè.

XIII.

Vt ducta ducit.

Qualis vita, finis ita.

XIIII.

Non quantum, ſed quale.

Subſtantiam non facit accidens.

XV.

Dum pura.

In claritate ſanitas.

XVI.

Ex incommodis commoda.
Quod non tibi, nec alijs.

XVII.

Modicè, & tempore.
Sollicitudo malum accelerat.

XVIII.

Nî inflata.
Omnia otium vitiat.

XIX.

Difficilius retinere, quàm consequi.
Quà non aufugit capias.

Acta

XX.

Acta genus monstrant.

Mali corui malum ouum.

XXI.

Nè nimia.

Immoderata nocent.

XXII.

Quò plùs, minùs.

Præquirere vitare non est.

XXIII.

Comprime, & nosces.

Si quid succi.

XXIIII.

Talenta, non Thalia.
Aurum vera chelys.

XXV.

Res humana bifrons.
Vbi mel, ibi fel.

XXVI.

Aut caue, aut siste.
Non intrandum, si norma deest.

XXVII.

Non omnibus æqua.
Fors semper forsan.

In

XXVIII.

In peius.
Nusquam meliora.

XXIX.

Obtenebrat, & clarificat.
Diuersæ causæ diuersus effectus.

XXX.

Tempore insanire sapere est.
Interdum seria nugæ.

XXXI.

Si captus, capio.
In ferro est libera Virtus.

XXXII.

Grauia ex modo leuia.
Victrix malorum patientia.

XXXIII.

Medium tene.
Qui ſe detorquet, torquebitur.

XXXIIII.

Specioſa foris.
Intus ab oppoſito.

XXXV.

Verti ad meliora Virtus.
Cedendum tempori.

XXXVI.

Vt nutritur.
Vti insita.

XXXVII.

Bonum tandiu bonum est, quandiu facimus.
Vt sumitur omen.

XXXVIII.

Prout aura.
Vertitur ad ventum fumus.

XXXIX.

Ornando præcipitat.
Pulcra ut plurimum nocua.

XL.

Quà vincit, non quà vincitur.

Maiori periculo succurrendum.

XLI.

In re modus.

Violentiâ inuertitur ordo

XLII.

Permoue, stabit.

Folles linguarum aures.

XLIII.

Ab externo fulgore suspice.

Prudens qui apparentijs non credit.

Tur-

XLIIII.

Turpis ex fletu risus.

Ouando malis parantur mala.

XLV.

Et benè, & malè parta.

Se fraudat fraus.

XLVI.

Vnâ duce.

Vulgum sequi ruere est.

XLVII.

Caula, non Aula.

Non seruit qui imperat, nec imperat qui seruit.

XLVIII.

Si non bona, nec beneuolentia.
Amicos ſecundæ res parant.

XLIX.

Semper vermes.
Fortuna non mutat genus.

L.

A minimis interdum maxima.
Pueri nè tempſeris annos.

LI.

Fabulam diſtinguit exitus.
Finis coronat opus.

Io: Francisci Bonomij Bononiensis

CHIRONIS ACHILLIS,

SIVE

NAVARCHI HVMANÆ VITÆ

PARS PRIMA.

Paruis magna nitent.


I.



Ouidius.

Cura Ducum fuerũt olim Regumq; Poëtæ.
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

Vir-



Virtute præuia.

P*Aulùm ſepultæ diſtat inertiæ*
Celata Virtus.
Quæ in ſuo ſplendore vt Sol nitet, ſi nubibus obliuionis obumbretur, licèt eclipſim omninò non patiatur, attamen in proprio non eluceſcens lumine, erit idem ac ſi illo vndiq; priuetur. Quamobrem opportunè melicus protulit Cycnus,

. . . . neque,
Si Citharæ ſileant, quòd bene feceris

Mer-

Mercedem tuleris.

Vero verius patet Diademmatum ponderi, quæ in Regijs vacillant apicibus, firmiores columnas gentilibus Plectris non reperiri. Viuam, quamuis mortui, exhibent fidem Scipio, Alexander, Æneas, Domitianus, ac alij innumerabiles Viri, quorum memoriæ vnà cum corporibus cecidissent, ac marcuissent, si Ennij, Cherilli, Maronis, Silij, aliorumq; Vatum fulcimentis Pennarum, ac atramentorum balsamis suffultæ, & seruatæ non fuissent. Heroum facta, nî dictis Doctorum celebrentur, lucentia sunt fulgura, quantùm nitida, tantundem fugacia. Hominum

exi-

existimatio nunquam agnosce-tur, nisi sit qui in conspectum Orbis eam ponat. Vates soli sublimibus pennis præclaros actus ad gloriæ subleuant apogæum.

Dignum laude Virum Musa vetat mori.

Orbis conceptui pro Sinone lixa inertissimo poterit haberi strenuissimus dux Achilles, nî ab Homero decantetur; pro Licinio Virtutum inimicissimo illarum amantissimus Octauius, nî à Cornelio Gallo extollatur; pro iniquo Caligula iustissimus Iulius Cæsar, nî à Lucano celebretur; pro sæuissimo Nerone pijssimus Germanicus, nî ab Ouidio mille præconijs sustineatur. He-

roum

roum geſta libelli ſunt ſupplices, qui ad immortalitatem diriguntur. Niſi ab Apolline reſcribantur, nihil proficiunt. Non abs re prouidi Lacedæmones ſuis Regibus, antequam bella ſuſciperent, Muſis holocauſta offerre impoſuerunt. Diſcordes tubarum clangores ſine Cithararum ſonitu ſapientiſsimi illi Patres cognouere. Ecquis ignorat ea nomina, quæ Hippocreneis in fontibus Clio non abluit, Lethæis in vndis facilè naufragari? Honoris in Oceano qui Pennarum antennis Princeps non vtitur, raró non ſubmergitur. BALAENAE inſtar in æternitatis itinere ſi Poëtam prò PISCICV-

LO quodammodò ſibi viam præmurmurante non præmittat, in obliuionis ſcopulos facilè incidet. Lector, mutum hunc Piſciculum pro dulciloquo Vate nè condemnes. Non eum inconſultò hîc poſui. De paruo quod hactenus pronuntiatum, & de mul o, quod tam nobili in materia meæ defuit expreſſioni me ab illo increpandum non ſuſtinui. Sed vt ad primum reuertar, Pindi tantùm rores in flore gloriam ſemper ſeruare iterum confirmo. Tandiu temporis fulminibus immunes aureæ ſunt Coronæ, quandiu Laureis racemis ſeptæ defenduntur. Quę fabrili ſcalpello monumenta in-

cidun-

ciduntur, paulò altiùs à terra eriguntur; ac incisa, lapides ipsos penetrando, penè sepeliuntur. Tantùm vbi sunt memorias signant; & si quas tamen retinent, vt in lapidibus signatas, terreas monstrant. At quæ Poëtico sculpuntur stylo, in Immortalitatis adamantibus inciduntur. Vt volatili calamo impressa, vbique se extollunt. Cur tot ESTENSIVM Heroës nubila transcendunt? Candentes eorum AQVILAE ad Perennitatis Phœbum sibi Cycnos præmiserunt. Cur tot FELTRIORVM Proceres Æternitatis solium attingunt? Eorum ROBORA, aureas vmbras diffundendo, au-

rea

rea ſecula Poëtis effudere. Cur, inquam, tot FARNESIORVM Duces Immortalitatis florem delibant? Eorum FLORES Lauros ſemper coronarunt. Vos tot MEDICAEI, cur annorum rotam effregiſtis? Veſtris ex ORBIBVS, tanquam è Sphæris benigniſsimis, Vatibus ſemper ſereni imbres deciderunt fauorum. Vos tot GONZAGAE, cur Lethes flumina quadruplici VOLANTIVM Alarum antennâ celerrimè transfugiſtis? Non ficta Mincius, vobis imperantibus, Cycnis obtulit pocula. Vos demum tot EMMANVELES, cur ad Famæ apicem ſublimiter euolaſtis? Cætera inter veſtræ

Do-

Domus Inſignia veracem PEGASVM non renuiſtis. Nec te illaudatam tranſibo, Regia BORBONIORVM Propago, Aurea cuius tergemina LILIA Ver perfectum Litterarum Profeſſoribus aſsiduè portenderunt Tuque, omnes coronatura, Monarcharum decus, felicifsimi ominis Mundo ALES AVSTRIACA, cur Immortalitatis Solem fixo ſemper lumine perluſtrabis? Ipſa in Solem conuerſa, ad propitia tui lumina Cycnos ipſos ſuaui quodam portento in Aquilas transformaſti.

Vno verbo, Lector eruditiſsime, ij omnes Regnantûm, qui ſuorum ambagibus Diadem-

ma-

matum nidos Cycnis compo- ſuere, ij ſoli Gloriam inter Coronarum ſepta per omne tempus munitam incluſerunt. E' contra verò quorum Diademmatum acumina Poëtas, negligendo, vulnerarunt, licèt glorioſiſsimè vixerint, tot iaculis à ſe famam amouerunt. Id teſtatus eſt Venuſinæ gentis Dircæus ſplendor, qui cum alijs Mecœnas gloriæ prodigus viueret, O. bem Mecœnatibus locupletauit.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro.


Sit

Sit ergo

Calliope requies hominum, Heroumq; voluptas.




Par-



Paruis magna nitent.

I.

Heroas vincit Tempus, nisi Carmina Tantùm
Vincuntur melicis secla fugata fugis.



Semper in altum.


II.



Claudianus.

. . . . Virtus . . . .
. . . . immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Sum-



Summa petit Virtus.

. . . . . TEndere ſurſum
Nititur aſsidue cognata ad ſidera Virtus.

IGNIS, qui pro centro ſphæram tantùm cognoſcit, audax dici non debet, dum ſemper ad illam ſe ſubleuat. Poteſt quidem Terra illi alimentum præſtare, non pro centro aptari. At temerarius profectò eſt credendus, qui combuſtibilibus obſtaculis eum tentet reprimere. Huius imagine poteſt Virtus non diſſonè ad-

umbrari; licèt hæc, vt ille, extinctioni non ſubiaceat. Nunquam fragili perſecutionis LINTEO opprimitur, quin ad Cælum, è quo oriunda, ſublimiùs ſe extollat. Ecquis ignorat illam, quæ termino caret, terminatas inter anguſtiarum anguſtias non poſſe conſiſtere? Iſtæ non niſi vt ſe magis efferat ipſi deſeruiunt. Illa purus omninò eſt ſpiritus. Vt leuis, terreo mixto diu non poteſt ſuffocari. Quæ partus diuinus eſt, in parte Hominis ſublimiori collocatur. In huiuſmodi ſedis eminentiâ abiecto tribulationis pede nequit conculcari. Imò

. . . . . . *Tunc celſior exit,*

Cùm

Cùm premitur Virtus.


Non immeritò ingenium, ac Virtus quodammodo inter se conuertuntur. Vt enim illud semper ardua, & suam quoque possibilitatem excedentia, plerunq; cogitat; ita hæc ad sublimia, & omnem vltra profunditatem se subleuat. Qui, *Sapiens in terris nullus reperitur*, dixit, & qui Σοφίην μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισι, protulit, ad elatas tantùm ętheris partes Sapientiam vertere asseuerarũt. Lato quantumlibet ore nigrum suæ prauitatis virus super huius nitidissimi Ignis puritatem effundat Ignauorum serpentium vulgus; Non modò illius nigredine obscurari non tre-

pidat, ſed quidquid infecti inuenit, tollit. Quinetiam ſi vipera, aquam priuſquam ingrediatur, venenum euomit, hoc in Igne aurum ipſum, damnoſior coluber, non ſolùm omni venenoſa expurgatur qualitate, ſed perfectionem acquirit. O diuinos Virtutis effectus! Beneficium ei conferre, qui damnum inferre tentat, ideſt dignum qui publicè legatur in chartis reddere, qui in priuatis congreſsibus de ſe indignè linguam enodauerit. Hæc mera eſt ratio, cur ſemper exalteris. Opprimite, inquam, hanc inextinguibilem gloriæ Flammam, alienorum partuum voraces Lupi. Semper creſcens
illius

illius fulgor vos terrebit; ſtridor arcebit; ac color, præ veſtra internarum cogitationum prauitate, vos coget erubeſcere. Quid ſperatis? Illam perfidiæ extinguat Notus? Ab ipſo vires ſumit. Sed veſtras intentiones ſecundet, quid creditis? Magis ſe, extinguendo, viuificans, cineres, quibus albo proprias felicitates ſignet lapillo, ac carbones, quibus veſtræ ſpei funus triſti notâ exprimatur, relinquet. Quid mirum, ſi tot perſecutionum obſcuritates patiatur? Nunquam flamma abſque fumo potuit reperiri. Attamen ſi illam fumus concomitetur, flamma eſſe non deſinit. De hoc Naſo-

nem, Senecam, ac Ciceronem consulite. Hi veræ tanti Ignis scintillæ, quamuis acu, lanceolâ, ac exilio extinctæ, generosiùs in altum se sustulere. Has inter pro cunctis vna quid sibi, & alijs euenturum foret clarificauit, dum mellifluo stridore personuit,

Difficile est, fateor, sed tendit in ardua Virtus;
Et talis meriti gratia maior erit.



Sem-



Semper in altum.

II.

QVomodo Virtutem vis præcipitare deorſum?
Sublimi è cerebro nata Minerua Iouis.



Vigilandum.

III.



Chryſologus.

Plus vigilare plus viuere eſt. Nam quid tam Mortis ſimile, quàm dormientis aſpectus?

Quo-



Quomodo dormias disce.

Q*Vid quiſq; vitet, nunquam homini ſatis*
Cautum eſt in horas.

Pericula in terra, pericula in mari, pericula in ſolitudine, pericula in ciuitatibus, vndiq; pericula. Omne culmen ſuas monſtrat ruinas. Mortalis, fabuloſus licèt fores Argus, non ſatis cerneres. Natura duos tantùm fronti oculos appoſuit, vt millenos menti aperiret. Quid eſt quòd de Fa-


to, ſi mala euenerint, queramur, cùm illa ipſi quæramus? Alienam ſortem ſemper venamur, & tamen proprius quemque inuoluit labyrinthus. Omnis conditio harmonia eſt; pauſam non facit, quæ ſuſpirijs non terminet. *Nec ipſa inter Fortunæ obſequia ſatis cauta mortalitas. Non ſomnus, non vigiliæ, non cibus inſidijs vacuus.* Regijs ceruicibus tenuiſsimo appenſi filo enſes plerunque imminent. Imperantium baculi non tam potentes ſunt virgæ, vt ſerpentium venena incantent. Excidia Ducum triumphis munera non ſemel vidimus. Diuitiarum copijs potiùs mortes, quàm

com-

commoda emuntur. Deliciarum pelago immerſis Amantibus nil prodeſt, *Parcite dum propero*, exclamare. Petulantium Fæminarum gulæ dum ſaturantur, Eloquentium linguæ terebrantur. O Virtutem depreſſam! O Amorem deceptum! O Opes damnoſas! O Palmas lethales! O Sceptra fruſtranea! O Coronas pungentes! *O quàm multa vbique intolerabilia!* Ecquis igitur qualemcunque Hominum conditionem deſideret? Eorum vita, quæ à Sapientibus pro mari habetur, nil niſi naufragia celare poteſt. In hac Mortales nauitæ ſumus. Si vel parum dormierimus, multùm pe-

periclitabimur. Tam fallaci in Oceano sit nobis fulgidum Sidus hoc ardens CEREOLVM, cuius quot sunt circumuolutiones, tot nobis euoluuntur pericula. Innumeræ illius ambages, varios indicantes status, quamcunque conditionem, nî vigiletur, propria incendia posse pati demonstrant. Sic vbique *vigilandum* nos monent. Dormiat Nisus, regnum, ac vitam amittet. Vigilet Macedo, plures triumphos, quàm certamina enumerabit. Semper igitur vigila.

Et si semper nequis vigilare, saltem ita dormi, vt vigiles intus, & exteriùs.



Vigilandum.

III.

Mortalis, vigilans ſemper tibi ſpiritus eſto;
Nam nimis (heu!) carpis ſomnia ſæpè vigil.



Ho-


Hodie ſapere eſt ſibi conſulere.

IIII.



Euripides.

. . . . . . *Virtus hominibus*
Moneta recondita eſt omnibus.



Moneta Scientia vulgi.

O *Ciues, ciues, quærenda pecunia primum est,*
Virtus post nummos,
auarum quotidie exclamat vulgus. Luge Pallas. Diuitiarum trophæa tuarum Virtutum sunt funera. Animi dotes, cùm talenta non sint, Virtutem auro nequeunt desponsare. Simul coniungi non possunt clara Hippocrene, ac fuluus Pactolus. Luge Pallas. Quantùm tibi satiùs, ne huic ætati ingrata fores, vt ex Da-

Danaës ſinu, non ex proprio cerebro, te Iupiter procreaſſet! Auri imbres, non ſanguinis pluuiæ ab illius vulnere manantes, amore erga te Mundum fæcundaſſent. Parua cranij craſſities tuæ exiſtimationi medianus fuit paries. Paulò altiùs naſci oportebat. Regalis Corona, quæ ſupra illud, non diuinum ingenium, quod ſub illo, te inſignem effeciſſet. Oſſis tegmen funeſtus fuit lapis, qui tuas operuit fortunas. Diademmatis circuitus theatrum illis fuiſſet. Si tui Genitoris Percuſſor ad illius oſtium capitis aureo malleolo pulſaſſet, dilectior ſanè poſteritati exijſſes. Qui ignis fuerat Deus, ſi auro, non

cha-

chalybe, illum temperasset, & Tu auro, non ferro, munita erupisses; sicque in existimatione rubigini non subiacuisses. Infelix Numen! Tui quantùm misereor! Si in tuis prodigijs cautius eras, gloriosiùs colereris. Errasti. Aureus tantùm, non Oliuæ ramus erat emittendus, vt illius fulgore clarius enitesceres. Hesperius Serpens, non Gorgonis caput, in Ægide admirationem poterat excitare. Vt aræ tibi extruerentur, non purioris Vestalis habitu, sed corruptioris Mydæ amictu, vt hodiernis hominum corruptis moribus aptareris, Tritonidem prope paludem necesse erat personam induere. Audi

sed,

ſed, heu, peius! Θαυμα, ἀλλ' ὐ ψευδές! Nihil eſſet hodie, quòd Cælum relinqueres, victorijs aſpirans; nam ſi olim in vallibus Idæ præmium tibi laſciua abſtulit Venus, nunc in potentioribus Atrijs & impura Venus, & auara Iuno (ac ſi qua peior Diua reperitur) auferret. Nunc, inquam, quo tempore

Auro pulſa fides; auro venalia iura;
Aurum lex ſequitur; mox ſine lege pudor.

Ad hoc, peruerſe Orbis, tuæ defectu auaritiæ, miſeræ Virtutes peruenere. Quid Doctis prodeſt in Literarum inutilium ſtudijs detineri, ſi *Hodie ſapere eſt ſibi conſu-*

ſulere? Si pro ſapientiori parua habetur FORMICA, quæ aſſiduè ad commoditates parandas laborat, quàm maximus Sapiens, qui perpetuò ad immortalitatem ſibi præparandam exſudat? Sed tua ingentior, Munde, eſt ignominia, quò maior Formicâ eſt Homo. I nunc Dionyſi, & Speuſippum, quòd mercenariam Studentibus ſcientiam impertiatur, redargue. Acriùs ipſe redarguêris. Vbi è contra tanquam veræ Vir Mineruę laudabitur, ſi centum minas à Diſcipulis exigat, Protagoras Abderites. Vos igitur ſapientes, Democrite, ac Heraclite. Tu quidem, quòd lacrymabili riſu eos,

qui

qui veram esse Virtutem diuitias congerere sustinent, derisisti; Tu verò, quòd ridenti sit tu Virtutem diuitiarum dignitate, frustra licèt, neglectam deplorasti. Indubitatum enim est, quòd

Ipsa sibi Virtus tandem pulcherrima merces.

Intelligat qui aures habet.



Ho-



Hodie ſapere eſt ſibi conſulere.

IIII.

VT ſapias, cumula. Haud proſunt verba aurea. Veræ
Flumina ſunt Suadæ, quæ vomit vnda Tagi.



Cu-

Custos, non Dominus.

V.



Pindarus.

Oportet iuxta ſuam quemq; conditione vniuſcuiuſq; rei ſpectare modum.

Ne



Nè vltra munus.

V*Anus, & arrogans, qui aut magna ſibi vindicat, quæ ipſi non inſunt, aut maiora quæ inſunt*. Si hodie à chimerico reale non alteraretur, quot ſunt qui ſibi videntur ſaperdæ, feſtiui, belli, qui ſe copreas noſcerent? Et tamen hoc tempore eſſe dirimit Præſumptio. Hinc eſt, quòd qui hoc laborant morbo, cùm alios fallere ſe exiſtiment, ſe ipſos fallunt. Hæc porrò deceptio mores non ſolùm, ſed artes om-

nes, ac ipſas inficit Litteras. Inde euenit, quòd qui infideliſſimus eſt Curio, ſe Attilium Regulum præſumit; at fidelitatis Regulam excedens, proprię prauitatis aſſiduum ſuſtinet ſupplicium. Inde qui vix Bronti aſſimilatur Vulcanum ſe iactat; ſed clauum pro fulmine extruendo, ſolùm in arte claudicando, Mulciberum imitatur. Inde Alexandrinus Pædagogus Mæonij ſe Vatis cenſorem extollit; at dum perfecta carmina ſe poſſe corrigere ſuperbit, incorrecti iudicij hominem, totius Orbis riſu, illico ſe manifeſtat. Hæc ſpecioſa ſunt arrogantiæ trophæa, admirabilia quidem, non imitanda,

da, imò potiùs lacrymanda. Qui audacter vtitur gloriâ, incidit in ignominiam. Turgidum ſemetipſo, ac plenum incedere, eſt vacuum ac inanem merito ſe reprehendere. Nihil eſt, quòd Coruus velit ſe tanquam Pauonem ſpectandum reddere. Vt proprias cernat imperfectiones, nihil erit quòd oculos ad pedes tantùm demittendo fatiget. Si vbiq; ſe circumſpexerit, vbique ſe impefectum dignoſcet. Nec ſatis erit muribus molendini dominium per aliquod temporis impunè obtinuiſſe, vt tanquam molitores obſeruentur. Peſtis verò præſumptionis hodiernos inter Studioſiolos præcipuè inſo-

leſcit, qui vndiq; arrogantiâ imbuti, licèt nec tria quidem Steſichori noſcant, ſibi vindicant poſſe magis docere, quàm diſcere, cùm tamen illos ſic Sapiens redarguat, *Indocilis eſt, qui mauult doctus videri, quàm eſſe.* Sibi autumant iſti inſipientes, eo quòd quattuor Litterularum elementa in capite ferant, Scientiarum Vniuerſum ſe componere. Quamobrem in priuatis, ac publicis congreſſibus eos audimus turgeſcentes, ſententias (vt vulgò dicitur) expuere, ſed nihil aliud ſalis in ſe retinent, quàm quod illis præſtat ſaliua. Δοκησισοφίαν!

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ' ἐπίσταθαι
βροτῶν.


O vos

O vos dementes, qui plus merito omnibus indifferenter illatrantes, cùm re vera neſciatis quid diſtent æra lupinis, in deriſionum percuſſiones meritò inciditis. Veſtras huiuſce CANIS latratus aures penetret, ac experiemini duros & flebiles sẽper fuiſſe præſumptionis fructus. Tumiditatem igitur deponite inſulſi. Alioquin voſmet inanes ampullas oſtendetis, quæ ſi vel leuiſsimo experientiæ ictu lædantur, maxima perfractione, ſe priùs vitreæ tantùm apparentiæ ſplendoribus enitentes, non dulci Virtutis liquore completas declarant. Talem ſe oſtendit Rhemnius Palæmon, qui cùm ſe am-

plißimum Scientiarum archiuium iactitaret, maximâ litterarum (quibus monumentum ſibi conderetur) pænuriâ laborauit. Et quidem merebatur, vt ſui periret memoria qui cum ſua morte litterarum memoriam morituram eſſe arbitrabatur. Nec minùs amentem ſe demonſtrauit Grammaticus ille Alexarchus, qui cùm ſuum Gymnaſium Cælum appellaret, ſe Solem volebat nuncupari, licèt potiùs ſua opinione deceptus, errãtis ſtellæ antonomaſiã mereretur. Ni porrò dicendum foret ipſum Lunam eſſe in iudicio decreſcentem, nam

Semper inanis erit mens, quæ ſibi
plena videtur.


Cu-



Custos, non Dominus.

V.

Est follis qui se iactat; Difflatur inanis,
Virtutis minima si feriatur acu.



Alta rûïnas.


VI.



Seneca.

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Quò



Quò ſummiùs, dubioſiùs.

D*Vm nimiùm magna, vel nimiùm ſibi damnoſa humana appetit ambitio*. Fortunæ faſtigia, quæ in ſummo Rotæ euoluuntur, conſequenter lubrica ſemper fuere. Quò laborioſiùs ad ea peruenitur, eò moleſtiùs præcipitatur. Hinc ipsâ cæcâ cæcior eſt qui cęcâ peruagans duce, tutè in altum poſſe duci ſe cogitat. Carenti lumine nimis de leui offendicula obijciuntur. Ab illis

in ſummitatis decliuio repertis difficilè incolumis abibit; in plano, facilè recedet. Ergo malè Hominum ſanas mentes, qui pumiliones cùm ſint, gigantæis volunt paſsibus incedere. Scitote amentes, quòd veſtes immodicæ magis inuoluunt, quàm exornent; & quò plures limbos, eò plures habent laqueos. Non abs re Apuleius Fortunam, velut tunicam, magis concinnam probauit, quàm longam. Quid exiguæ in alto Naui ingentia proſunt vela? Mergunt potiùs, quàm regunt. Siracuſij moles Architecti quò altiùs euehitur, eò diſperſiùs infringitur. Sublimiùs extollatur Babelle, præcipitoſiùs

ruet.


ruet. Superbiùs efferatur Olympus, Olympi iuſtitiâ turpiùs euertetur. In temerario DOMIPORTAE huius dorſo legite, & diſcetis audaces aſcenſus mortales deſcenſus ſubſequi. Diſcetis Soliorum gemmas lubricos greſſus facere; Dignitatum onera potiùs proſternere; ac terreos pedes aëreum iter non poſſe ſuſcipere. O nos miſeros, qui, Teſtudinum inſtar, dum ad aliquem honorem aſpiramus, ſemper ſolliciti reſpiramus, ac obtento denique, pluries ſpiramus! O ſapientem Numam, qui tuos deſcenſus ſagaciter quęrendo, feliciter aſcenſus inueniſti! O dementem Belliſarium, qui tuos aſcenſus im-

prudenter lustrando, miserè descensus comperisti! *Prosperitati nemo credat*, nam

. . . . Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura leuat.

Hinc discat nonnemo, quòd

. . . . Intra
Fortunam debet quisque manere suam.





Altaruinas.

VI.


QVid iuuat humano pennas apponere dorso?
His citiùs fletûs æquora ad alta volat.



Dat,


Dat, & non habet.

VII.



Plautus.

Alterius pennis volare haud facile est.



Roſtro, non mente.

E*Heu quot pecudes humano in corpore viuunt!*
Quantùm à veritate diſtat mundana falſitas! Maledictam gloriæ ſitim! Quot per te inebriati aliorum riſu delirant! Alius vt ſuæ affectus patefaciat Galateæ, alieno ab ingenio illos mendicat. Alius ſuum nomen chartis mandando illuſtrare opinatur, ſed dum illud alienis atramentis immergendo ſubmergit, magis obſcurat. Alius, vix primis litte-

rarum hauſtibus, vt Canis è Nilo, deguſtatis, Picturæ, Idiomatum, Architecturæ, & eiuſmodi, nedum ſublimiorum Scientiarum, ſed ipſorum quoque Scientificorum Cenſorem ſe faciens, fruſtra ſibi plauſus ſomniatur. Alius ad portum laudis prælorum nauibus peruenire deſiderans, illorum nigredine Lethæos in ſcopulos (ac vtinam in iſtorum catalogo ipſe non noter) plerunque offendit. Sic vbique fucatâ oſtentationis Venere ſinceram ſapientiæ Pallada exoptatur effingere. Præ cæteris verò non pauci locorum veris Eloquentibus conuenientium immeritos gradus aſcendendo, Im-

mor-

mortalitatis ſolium ſcandere ſe exiſtimant; at quia aliorum doctrinâ illuc efferuntur, in ſolum decidunt. Si alieno ſe extollens fulcimine altus ſufficeret ſaltus, quod, Amentes, vos eſſe optatis vel meus hic eſſet PSITTACVS. Hic quoque alienâ edoctus linguâ (arrigite aures) tempore

Proijcit ampullas, & ſeſquipedalia verba;

ac cum Homero ἔπεα πτερόεντα, ſed quid balbutiat penitus ignorat. Væ ſtultæ ambitioni! Hiſce in locis nunquam mehercle vtile fuit perſonam induere. Si breuia alicuius exiſtimationis Bacchanalia præceſſerint, longa dedecoris ieiunia ſubſequentur.

Quid

Quid creditis? Vera tantùm Virtus planta est meritorum germinans fructus, quæ exaltationis radices firmat. Ficta flos est pullulando marcescens, qui si odorem effundat, nares offendit, quòd impropius. *Non è quouis ligno Mercurius fingitur*. Alienorum balsamis sudorum Ignauiæ cadauer obtegatur, minimo fætore suam putredinem manifestat. Nunquam sine periculo fuit asinum leonis pelle, ac simiam purpurâ inuoluere. Illum ruditus à rugitu differens accusabit; hanc minima erroris nux detectam obturpabit.

Vnum pro cunctis Fama loquetur opus.


Dum

Dum histrio in theatris regio amictu induitur, si maiestatem habitûs vili vel dicto, vel actu dedecoret, quid sit patefaciet. Si Sapientum sedes vsurpare quid sit dignosceretur, ad illas sanè cautiùs aspiraretur. Illæ quem magis extollunt iudicantium oculis magis subijciunt. Nimis hodie apertis luminibus nascimur. Vix ipsi veræ Virtuti fides præstatur. De ficta argumentemini. Callidâ hac ætate non, vti quōdam edocta à Lysandro, Dodonæa Oracula sic aptè poterunt loqui, vt Rex vngatur. Non sortietur Sertorius, Ceruæ ore loquendo, populos terrere. Mendax doctrina nunc risibiles, non


ad-

admirantes affectus permouet. Nec ſatis eſt homini, vt doctus videatur, naſum habere. Pro illo qui habeant non deſunt; nam præſenti in ſæculo

. . . . . *Iuueneſque, Seneſq;*
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.




Dat,



Dat, & non habet.

VII.

PSittacus increpitans feret haud encomia Docti.
Si ferat, hic pennas non penetrabit honos.



Tem-

Tempore diminuere, eſt augere.


VIII.



D. Auguſtinus.

Fæcundus eſt ager pauperum. Citò redd. donantibus fructum.

Adi-



Adime, crescet.

I*Nterdum lucri species est perdere*. Nulla est potentior moneta ad emendam Mundi simul, ac Cæli gloriam, quàm opportunitatibus auxilia miseris conferre. Nec meliùs augentur gemmæ, quàm cùm pro gementibus effunduntur. Aurum alienis subsidijs sepultum tenere, est meritorum census sibi denegare. Alterius ærumnis æraria aperire, est proprijs infortunijs ostium claudere. Diuiti donare,

est

est se ipsum pauperare. Egent
verò largiri, est se, & alios locu-
pletare. O diuinos contractus:
Dando acquirere, mutuando fæ-
nerari, ac prodigendo cumula-
re, nonne cælestis vsuræ species
vocabuntur? Quid tandem bo-
norum prodesset copia, nî alij
copiam facere sciremus? Habe-
re, nec scire dare, est nescire ha-
bere. Tantùm sibi possidere, est
nec sibi, nec alijs diuitem esse.
Sed sibi simul, ac alijs habere, di-
uitiarum summa diuitia est.
Quid duobus Cæli prodesset Lu-
minaribus, aureum aliud benefi-
centiæ theatrum, argenteam a-
liud fæcunditatis scenam esse, nî
vt splendétia splendida, sui quo-
que

que nitoris diuitias toti Mundo vberrimè profunderent? Hæc iure quidem cunctos lucis radios in se merentur retinere, quia nullum pro se retinentes, omnes sideribus nobisque benignissimè impertiendo, venerationis augmentum sibi vindicant. E' fulgenti horum crinito capite tuam mentem, Mortalis, illumina. Disces, quòd sicuti hæc CAESARIES tempore cæsa, Planetarum fauore, tondendo, augetur, sic opes opportunitatibus diminutæ multiplicantur. Disces, quòd si, illius sententiâ, Crinis fluxus opes designat, quò plures ad paupertatis caluitiem cooperiendam rescindes, in cincinnos eò

longiores tibi creſcent, ad diuinum Amorem illaqueandum, & ad tuos errores ſupremi Numinis lumini occulendos. Nec diuerſos ab æterno Rectore ſortita eſt effectus Zenonis, ac Tyberij II. in miſeros pietas; Illius quidem annorum multiplicitate, iſtius abundanti theſaurorum inuentione. Beneficentiæ opes diſſipando colligantur. Dilatatas ad Mendicorum ſuccurſum manus reſerare, eſt vncinatas ad extrahendos à Deo fauores tenere: Hinc credendum cum Poeta, quòd Pauperibus donare

Mercari exiguo nos facit ære Deum.

Tem-



Tempore diminuere, eſt augere.

VIII.

LVerum Dîtis Inops; nam prodigus ille miſellis
Quas dederit, ſolas ſemper habebit opes.



Opportunè, si non sanè.

IX.



Xenocrates.

Qui passim maledicunt omnibus, eos palam est id naturæ vitio facere, non ex eorum merito, quibus obtrectant.

Con-



Consilijs supplet tempus.

Decorum silentium corona est viri boni. Humani linguam interpretem cordis, vt tempore animi affectus exprimeremus, à natura obtinuimus. At his temporibus nulla illius moderandæ tempora comperiuntur. Effrænati Mortalium animi effrænatas linguę habenas relinquunt. Illam præcordij velum, non imaginem, vt illius sententiâ fieri deberet, faciunt. Mendax omninò hominum turba

prauas occultare paſſiones tantùm curat. Cuncti vitijs inuoluuntur, cuncti obtegere indigent; ij præſertim qui fulgurantes Virtutum eſſe deberent Soles. Alius inſatiabili torquetur auaritiâ; alium intemperata extinguit libido; alius iracundo dilaceratur furore; alium inexplebilis enecat gula; omnes particulari roduntur tineâ;

. . . Quemuis mediâ erue turbâ;
Aut ob auaritiam, aut miſera
ambitione laborat.

Præ cæteris verò ſe ipſum lacerans Liuor, ſat dentes haud potens acuere, linguam enodat vehementiùs. Verborum telis Virtutem humi proijcere ſe opinatur


tur; at magis exaltat; tùm quia admirabili hæc ſpicula reijciens intrepiditate, fortiſſimum ſibi ipſi ancille eſſe poteſt patefacere; tùm quia inuidiosâ dum inſectatur mordacitate, illam cui inuideatur dignam declarat; Sic ipſius meritis mala afferre deſiderans, bona afferendo, ſibimet damnum infert notabile. Inde verò eſt, qnòd (quoniam vitioſi quæ ſibi pernicioſiora inaduertenter libentiùs inſectantur) plerunq; inſanus, non opportunè, vt captatoriæ huius Aucupis VOLVCRES, vocem profundit, at omne extra tempus in alterius famam increpitat. Hinc tot veluti apes ſemper moroſo in alie-

nis auribus murmure Inuidi bombilant. Nulli parcunt, vbique noctuant. Ad importunos ſtrepitus per vicos, per domos, per plateas nos conuocant. Eorum furori nullibi non eſt locus. Dens Theoninus vbique inſigitur. Liberè audiuntur, liberiùs loquuntur. Plurimi hodie ſunt Anaxarchi, qui incompoſitam efferunt loquacitatem, nulli Anacreontes, qui plectant. Audite me, Liuidi. Quoniam reprimere veſtram neſcitis importunitatem, *Opportunè, ſi non ſanè* tantum furorem ſaltem euomite. Fricantes duntaxat refricate. Sic verum fiet, quòd proiatione ſe vlciſci iuſtitia eſt, no

ma-

maleuolentia. Alioquin ſi cum alijs intempeſtiuè, & de alijs immeritò maledixeritis, vobiſmet maledicetis; ac ita illud dictum confirmabitur, *Nemo læditur niſi à ſeipſo*. Quandoquidem *Non eſt eiuſdem & multa inopportunè, & ſibi utilia ſemper dicere*.





Opportunè, ſi non ſanè.

IX.

LIngua, loqui ſapias: Humani es nuntia cordis.
Signum excordati, nî modereris, eris.



Ab externis interna.


X.



Catzius.

Quisque suo vitium, quod tegit, ore gerit.

For-



Forma dat esse rei.

E*X vultu, & oculis non potest celari conscientia.* Non minùs horum motus, ac illius signa pro veridicis animi habentur delatoribus. De Naturæ malignitate conqueri nemo non posset, si, quoniam homini ad fingendum tam facilem tribuit animum, varios quoque signorum characteres, quibus illius inclinationes legerentur, non tradidisset. Hinc est, quòd quantùm praua, tantùm prouida voluit,

luit, vt ex frontis rotunditate mentis fraus indicaretur, ex quadratura integritas; ex oculorum mediocritate ingenuitas, cauitate perfidia; ex ciliorum moderatione humilitas; longitudine arrogantia. Statuit vt proportionatum caput ingeniosum fieret, immodicum rude; os decens benedicum, ingens mordax; facies hilaris sincera, liuescens liuida. Valles, ac montes manuum curarum profunditatem, ac eleuationem demonstrant. Corporis næui paucos homines maculis carere ostendunt. Ipsarum quoque linearum in pedibus intercisio paruam cogitationum rectitudinem breui hoc vitæ in cursu

accu-

accuſat. Hæc porrò, tanquam ſecundarum cauſarum effecta, in tantùm quid veri habent, in quantùm è prima omnium cauſa illæ dependent. Quare omninò verum non eſt Auctoris dictum, *Fronti* (externo .ſ.) *nulla fides*. Imò hæc campus eſt, in quo affectuum acies effulgurat. Boni pulcrum habent vexillum; mali turpe. Difficiles quidem qui cognoſcantur ſunt affectus. Aſpectibus vndique ignoti in corporis ſepulcro conduntur. Id tamen vultum habet pro lapide. Inſcriptio, quæ in hoc inſpicitur, illorum monſtrat conditiones. Natura, quæ ſemper in bonum tendit, ſemper bonum operari ſe

arbi-

arbitratur. Hinc quod facit noscatur gaudet. Id agere ex se non potest, quòd loquaci caret expressione. Igitur per tacitam, mediantibus corporis signorum linguis. At quia hæ neque sufficerent, inclinationem operibus dilucidat. Hinc est, quod ex electione artium, studiorum, ac aliarum curarum animi desideria argumentamur. Sapientes ideò Athenienses, qui antequam suos Natos cuilibet exercitij generi applicarent, varia instrumenta illis exponentes, illorum inclinationes explorabant. Prouide igitur Vlysses! Vt Belligerum inter Lycomedis puellas detegeres, prudenter fæmineis ornatibus

ensem

ensem operuisti. Quinetiam nullus est corporis motus, qui animo non dirigatur; & hoc sanè modo illius intentiones enitescunt. Quamobrem religiosum hominem anathematica non indicat lingua, pium hypocrisis, humilem sui existimatio, beneuolum maledicentia. E' contra verò frequentes eleemosynarij actus auaritiæ, mansueti iracundiæ, honesti impuritatis, viriles pusillanimitatis signa nunquam fuere. Tantæ veritatis argumentum sit sufficiens huius suauitas PEPONIS, interna cuius dulcedo, aut amarities ab externo visu, & olfactu tam benè dignoscitur. Quapropter creditu

di-

dignum eſt hoc fundamentum, quòd prauitas animi, vel puritas, ex turpitudine ſignorum, vel pulchritudine apparet. De hoc nos ſatis monitos voluit Cæſar, *ad quem* (vt Plutarchi verbis vtar) *delatâ de Antonio, & Dolobella calumniâ, quòd res innouarent, Non hos, inquit, pinguis, crinitoſque pertimeſco; verùm pallentis magis, atque macilentos illos, Brutum videlicet, & Caſsium*. Sciebat, quòd vbi illi craſsi, & rubicundi vultûs homines, coloris alteratione ſi quid proditorij in animo concepiſſent, cogebantur oſtendere; hi cinereorum viſuum immutabilitate vllo pacto detegi non poterant. Benè

cautus qui adagium inuênit, *E-*
rubeſcit, ſalua res eſt, quoniam
Vel tacito vultu ſcire futura licet.






Ab externis interna.

X.

EST animi ſpeculum corpus, quod debile vitrum eſt.
Fit clarum hôc quidquid mens tenebroſa tegit.




Huic



Huic credas.


XI.



Beda.

Omnia in hoc Mundo incerta creden-
sunt, Mors tantùm certa.

Vera



Vera vita mortis speculatio.

OMnem crede diem tibi diluxiße supremum.

E Viuentium catalogo deleatur qui tãtùm viuere, vt viuat, meditatur. Morti nascimur, morti viuimus, & solùm tandiu viuimus, quandiu illam consideramus. Si veritatis lumine admirandas illius qualitates contemplaremur, sic diligeretur, vt cor nostri cordis, ac vnica Animæ anima viueret. Quid enim aliud ipsa est, nisi


nisi Animę libertas? Et quid hac
amabilius reperitur? Illius verò
meditatio negligitur, quòd vera
libertas ignoratur. Talis creditur
ea, ad quam assiduis laboribus
exsudatur, licèt re vera miseran-
da sit seruitus. Circum illam
consumimur, ac omnes nostras
cogitationes euoluimus. Si hoc
SPECVLVM benè intueremur
nostram dignosceremus insa-
niam, & tantùm *Huic creden-*
dum esse videremus. Non vm-
bra, at vera nostri status imago
est, quam nobis illud repræsen-
tat. Ostendit vitam vt vitrum
fragilem, vt vmbram instabi-
lem, ac ærumnarum plumbo, re-
flexûs ministro, grauosam. Qu[illegible]
actu

actu amplectendi MORS te inuitat, ad vitam vocat, dum ad reflectendum in mortalis vitæ Speculo allicit. Sed quid in Speculo? Potiùs in conſpicillo dicatur, quo magis errores tui tibi clareſcant, quo longiùs tuam metam inſpicias, quo clariùs te puluerem diſcernas. Mirare, & ſic mirando non morieris. Si tali Vitro mentis lucem appropinquaueris, in cor tuum veræ cognitionis radij reuerberabunt. Videbis te lacrymis exoriri, quæ ſpeculorum deſeruiunt multiplicati; te in gelu conuertendum, quod cryſtalla efformat; imò ad recti ardorem te gelu eſſe; ac in pectore Mortis ſtare quid de te libuerit

diſponere. In hoc igitur Cryſtallo cryſtallinum oculorum lumen fige, & purum veritatis inſpicies Solem, dummodo terræ affectus non interponantur. Fac vt Canio edoctus philoſopheris, ſi verè vis philoſophari. Ille ex mortis meditatione Caium potuit confundere. Memento nouos Hyſpaniæ Barbaros non tam dare operam regibus creandis, quàm chlamyde mortuorum oſsibus picta inuoluendis. Dignum morem! Mors quidem *Vltima linea rerum eſt*, ſed quæ prima pro obiecto habenda ſit.

Iſtius præmeditatio finis, qui malum apparens eſt, principium veri omnis boni euadit.


Huic



Huic credas.

XI.

MOrtalis, Speculo hoc tantùm te cernere cures.
Quid sis verè oculos ponit id ante tuos.



Non ſemper vires.


XII.



Mænander.

Temeritas multis eſt cauſa malorum.

Nè



Nè quidquam temerè.

S*I vis timeri, time. Nulli facilius opprimuntur, quàm qui nil timent*. Insipientis cura est velle semper trepidari. Vt plurimum enim qui nullum vnquam timuit,

Non expectato vulnus ab hoste tulit.

Maximū sit licèt robur, æternum nō erit. Crescente ætate decrescit vigor. Qui se Aquilā modò iactabat, modò Columba euadet. Qui lędit nō lædi metuens, si aliquando tutus, nunquā tamen securus

 viuat.

viuat. *Necesse est enim multos timeat quem multi timent*. Qui nunc horretur, nec horret, aliquando horrebit, nec horrebitur; *Superba quippe fortitudo si pericula contemnit, & prouocat*.

In vento scribit lædens, in marmore læsus.

Tempore maturescit vindicta, & quæ maturior acerbior. *Tarditatem supplicij grauitate compensat* Qui nunc reptabãt bombices, tempore extollunt alas. *Habet & musca splenem. Inest & formicæ suabilis*. Sit maxima licèt potentia, minimo actu subuertitur. Videmus grandiores turres paruissimis fulminibus disijci, imò quò altiores, eò faciliùs illis

illis ſubijci. Videmus imbecilli tineolâ fortiſsimas moles erodi; paruâ ſecuri ingentes quercus proſterni; puſillo coloſſos deijci lapillo, ac minuto naues impediri piſciculo. Accuratè igitur time, nam *Inimicum quamuis humilem metuere Sapientis eſt*; Paruus enim hoſtis vbique ſe incolumem celat, magnus verò magis oculis, & conſequenter magis inſidijs patet. Tam vtile tibi pingat in corde axioma hic mortuus BELLIGER, qui mox tumidus agonum timor, ac cohortum tremor incedebat, nunc viliorum ærucarum pabulum, ac minimarum auium ludibrium proſternitur. Timor ſecuritatis,

præſumptio periculorum dux ſemper fuit; nam plerunque qui ſibi fortiſſimus videtur in alium fortiorem incidit. Fabij Maximi rem Romanam extollet metus, Caij Flaminij ſubuertet præſidentia. Timendo aliquis victor euaſit, nemo temnendo.

Spes metum ſequitur.



Non



Non semper vires.

XII.

NE timeas, timuisse decet. Timor ille probandus,
Tempore qui incolumes nos facit esse suo.



Vt ducta ducit.

XIII.



Zonaras.

Vitam probum probus finis subsequitur, prauum prauus.

Qua-



Qualis vita, finis ita.

V*Ita hominis peregrinatio super terram*. Sed plus ſuper mare, cùm calamitatum æquor ſit Mundus. Quantùm verò iudicij opus eſt Menti proretæ, vt hominis Nauim in illo dirigat! Quantumuis regatur, ſcopulorum non poteſt offendiculis non ſubijci. In tranquillitate ipſa à procellis timendum. Imò magis in placido; ad naufragia etenim adulationũ Zephyri, fictionum Euri, & pellacium

plausuum murmur vehementiùs impellunt. Si hoc igitur in tacito, quid in frementi? Qui imbres, quæ procellæ, quæ tonitrua consilium Nauarcho non desperabunt? Mille insidiarum Scyllæ, malignitatum Cyclades, ac proditionum Cyaneæ in calamitatum pelago submergent. Parùm proderunt Palinuris inflata forte lintea; præsumptionis somnus sinet madefieri. Debile Orontibus erunt subsidium fortes antennæ; minima otiositatis incuria maximæ erit causâ fractionis. Non multùm se fidere poterunt bracchiorum remis Leandri; luxuriosi æquoris flagellatio ipsos flagellabit. Sed quid tot


inter tam irati æquoris fremitus humana titubas cymbula? Monitoriæ Empyrei ſunt voces, ſi tui Rector earum dogmata perceperit. Cælum imitans color, ad Cælum tuam nauigationem tantùm dirigendam præmonet. Albeſcens ſpuma candidę ſolùm fidei fundamento illius oris allabi te poſſe edocet. Æſtuantes aquarum montes, qui vix elati præcipitant, per ambitionis moles ad illud tendi non debere indicant. Quæ enim machinæ ex fumo producuntur in fumum diſſoluuntur. Ab illis tuus diſcat Proreta, quòd ſi malorum mare ſulcatur, non niſi amaritudines guſtantur; quòd quæ amarę ſunt


aquæ

aquæ amaras tantùm lacrymas ab oculis extrahunt. Diſcat, quòd tantùm lacrymarum pelagus ad verum euehit portum, & quòd ſoli ſudorum vniones dulcem laboribus coronam efformant. Vt tuus igitur Gubernator ſe ſatis edoctum ſibi indicet, pro clauo prudentiam moderetur, pro magnete conſilium regat, pro malo conſtantiam firmet; quæ tamen omnia ad rectæ conſcientiæ cynoſuram ſemper vertat. Alioquin ambo naufragium patiemini. Et ſi nautica pyxide vti illum pigeat, hanc RHEDAM (non NAVI minùs) humanæ ſymbolum vitæ inſpiciat. Nî Auriga hic vector cautè illam dirigat,

vel in terra ſuos ſcopulos experietur. Hippodames Rhedam benè regat Myrtilus, ſuimet Nauim malè non regens, proprio naufragio æquoribus nomina non imponet.

Pij feliciter nauigant, impij miſerè naufragantur.






Vt ducta ducit.

XIII.

VT Rheda, vt Nauis mortalis vita vagatur.
Horreat hæc ſcopulos, horreat illa ſcrobes.



Non

Non quantum, ſed quale.

XIIII.



Petrarca.

Multa ſunt oneroſa diſcentibus, doctis pauca ſufficiunt.

Sub-



Substantiam non facit accidens.

C*Vm legere non possis quantùm habueris, sat est habere quantùm legas.* Librorum quantitas scrinia quidem, non animos exornat; imò illos confundit; eorum enim multiplicitas non paucos insaniâ magis, quàm sapientiâ repleuit. *Primum argumentum compositæ mentis est posse consistere, & secum morari.* Id autem non potest qui tanta in nimietate huc, & illuc cogitur

vagari; nã *Nusquam est qui vbiq; est*. Sicuti exquisita dapum sobrietas naturam absque ventriculi grauamine enutrit, ita Librorum parsimonia sine confusione ingenium erudit. Medicaminum vbertas infirmum per mit; raritas sanat. Robur exercitûs non in multitudine, sed in militum fortitudine consistit. Armata acies ad hostis expugnationem tendens, si multos ante habeat passus, facilè anceps decipitur, & bonum iter deserens, malum sequitur. Aliquo in conflictu armorum nocet copia, dum quæ capiantur resolui non permittit. In Librorum abundanti luxuriare, superbire, non ediscer est.

est. Sic qui à liberando, quòd vitijs nos soluat, liber dicitur, dum ambitiosos efficit, vitijs magis inficit. His exuberare, est maiorem blattis escam parare. Est & possessis, & possidenti damnum inferre. Illis quòd carent lectore; huic quòd abundanti abutitur lecturâ. Appositè hîc confabulatoris labem mihi subeundam non censeo, si ludicras duorum familiarium se inuicem deridentium facætias tibi, Lector, adduxero. Diues quidam, quantùm doctrinæ inops, tantùm Libris abundans, Doctorem vti doctrinæ prodigum, sic Librorum indigum visitando, Salue, inquit, mi, Doctor, sine libris.


bris. Salem patienter hic tulit. Post verò aliquod tempus visitationem reddens, callidus alter in cubiculum introduxit libris plenum, quibus, non cui, Sapiens iocosè iam delusus, sagaciter dixit. Saluete Libri sine lectore. Et meritò; vera quippe scientia non in quantitate Librorum, sed in eorum, & in legentis qualitate consistit. Hic, qui SAPIENS est, benè agnoscit magnos inutilibus tantùm verbis plenos scrinijs esse relinquendos, paruos verò fructuosæ diuites doctrinæ semper præ manibus habendos, ac vt diuinorum reliquias ingeniorum venerabundè osculandos; πολλάκις αμέλει μέγα ἔργον ἄρεκτον.

Quan-

Quantuluſcunque adamas ingentes berillorum exiſtimatione vincit congeries; in ſua etenim pretioſa puritate maior eniteſcit. Exiguus ſæpè cophinus maximos continet theſauros. *Magna plerunque ingenia in paruo latent.* Præceptum hoc docuit Mantuanus, qui ex vnius tantùm Ennij ſtercore aurum didicit colligere. Ignorauit ille, qui diſertiſſimi Herodis Attici ignauiſsimus filius, ac indignus hæres, ex innumeris paterni ſcrinij voluminibus nec prima quidem percepit elementa. Ne ex Librorum numero vbiq; rapiaris, eripe, & augebis.

Satiùs eſt Virtute affluere, quàm Libris.


Non



Non quantum, ſed quale.

XIIII.

Q*Vale, at non quantum:* Confun
dunt maxima. Paruus
Ingenia illuſtrat grandia ſæpè Liber



Dum

Dum pura.


XV.



Speronius.

Omnem mulcet morositatem in Fœminis Pudicitia.

In



In claritate sanitas.

N*Vlla maior arbitrij infirmitas, quàm Vxor*, audacter ait ille. Quod.n.morbi genus illius defectu non suffertur? Affectuum vertigines, Superbiæ carbunculi, Zelotypiæ carcinomata Coniugatum plerunque excruciant. Ne dedecoris macula honoris pupillam infestet dum timetur, albugini subijcitur. Dum eius ornatui incumbendo vsque ad capillum bonis exuitur, alopeciâ ægrotatur; dum nimius ar-

dor in gelu tandem degenerans, medullas conglaciat, Spaſmus toleratur; Apoſtemate vexatur, dum priſtina illius rubra formoſitas, quæ dura fuerat, in ſenectutis ſaniem incidit. Icteriſi perturbatur, dum petulantia bilem prouocat. Phræneſi exagitatur, dum vanæ Amoris imagines repræſentantur. Omnia tandem vſque ad deſperatam perducunt anxietatem. Hæc, & his ſimilia, plùs irâ, quàm veritate percitus Oratior quidam olim confabulauit (quem ex his aſſertis auctorem quoq; illius prouerbij fuiſſe iurarem, *Mare, Mulier, Ignis tria mala*) Matrimonium ſanè, vt opinor, non tanquam Dei inſtitu-

tum

tum conſiderans, ſed vt mundani grauitas iugi illud tale efficit. Præmiſſæ quidem ſuppoſito indignæ ægritudines ſaniores affligerent animos. Lethales tamen non ſunt, dummodo febricitans Honoris pulſus, VRINAE coniunctus impuritati, non vacillet. Moleſta quidem talibus morbis languenti valetudo eſt; At, ſi maxima, patienter toleranda, nî humor prædictus vitietur. Non alia vitæ præiudicant ſymptomata, quantumuis grauia, dum dilucida hæc excrementitia qualitas cordis indicet claritatem. In anguſto huius VITRI oceano dum procelloſa Laſciuiæ nubes decori naufra-


gium non minitetur, ſalubris portum felicitatis tenere credas. Libenter ex illius fragilitate fœminei ſexus inconſtantiam inſpicias, dum ex claritate vnici amoris quoque puritas innoteſcat. Innumerabiles quidem (fateor) curæ, tormenta, ac mortes eum experiri neceſſe foret, qui cum thalami Conſorte, quaſi cum ſorte (licèt potiùs cum omni malo) ſe victurum opinari vellet; at *Dum pura* omnem amaritudinem dulciſſimam efficere potis eſt. Pompeiam, cognitâ fœminæ impudicitiâ, repudiare cogatur Iulius Cæſar, infortunatiſſimus iudicetur. Zenobiæ (quamuis cæterum moleſtæ)

Ho-

Honeſtate perfruatur Odeanthus, feliciſsimus habeatur. Ita eſt, mi Lector. Dei fauore quid ſcribam ſcio.

Pudicitia omnis ærumnæ condimentum.





Dum pura.

XV.


FIt, sibi qui Sponsam capit, imme-
dicabilis æger.
Est medicina potens qui benè sanus
Honos.



Ex

Ex incommodis commoda.

XVI.



Mænander.

Cupido habendi aliena maximum malum.

Quod



Quod non tibi, nec alijs.

S*Aepè vulpem fuit vestire, leporem deglubere*. Heu quò peruênit seculi impietas! Pro digniori habetur Politica alterius calamitates sibi facere felicitates; alienis lapsibus propria erigere ædificia; flentium miserorum aquis superbię ignes dira antiparistasi accendere; ac alienis suspirijs propriæ ambitionis fumo ventum inspirare. Vno verbo verum est viuere *alienâ viuere quadrâ*. Non pauci incedunt, qui

ex pallido infelicium tremore argenti candores accumulent, qui ex flaua mendicorum macie sui fuluos auri nitores extrahant, qui gementium lacrymas in gemmas sibi conuertant. Vbiq; *Magni pisces minutulos comedũt*. Verùm quid hæc tam parua collacrymor? Thesaurorum fodinæ inueniri nesciunt, nisi ipsæ pauperum venæ aperiantur. His diebus, imò impietatis noctibus, non homo homini Deus dicendus est. Meritò potiùs lupus. Illius carnibus vescendo propriam auget feritatem, sanguine inebriat sitim. Nec vllus ignis charitatis reperitur, quo sua crudelitas terreatur. O sacram Ciuium fa-

famem; o ſacrilegam Nobilium ſitim! Væ populis, ſi barbara Macchiauelli dogmata, prædictis non imparia, Fidelium Principum mentes quoque penetraſſent. Quæ auiditatis monſtra enutrita non fuiſſent, ſi in illis tam rapacis Politicæ ſemina pullulaſſent? Sibimet nedum ſubditis, in ſinu ſerpentem fouiſſent. Iuxta illud Οἱ αὑτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων. Imò, cùm ad extrema teneantur, quippe qui in ſummo exiſtunt, ſicuti diuina ope pietatis extremum tangunt, ita impietatis attigiſſent. Iniuſtitia innocentiam conculcaſſet; Purpureæ chlamydes ſanguine plùs quàm murice fulguraſ-

guraſſent; ac ipſi Throni magis tragœdiarum ſcenæ terruiſſent, quàm venerationis theatra effulſiſſent. O te igitur felicem Chriſtiani Orbis molem, quæ tot iuſtis Coronatorum Atlantium fulciris ceruicibus, qui non minùs intrepidè, quàm fortiter, proprijs etiam incommodis, tantum ſuſtinent põdus, vt tu commodè eleueris. Sed io me feliciorem, non ſolùm quòd liberos natales obtinuerim in Patria, quæ *omnia bona omina* indicat, ſed quoque ſim ſortitus Magnorum Maximi Antiſtitis ſubiectioné, qui vt Redemptorem, cuius eſt Vicarius, imitetur, alijs cruces vt auferat, Cruces ferre exultat.

Tan-

Tantundem verò heu miſeros Orientalis Monſtri ſubditos, quod, huius BOVIS inſtar, alienis obdormiens felicitatibus; nunquam capitis Lunam gerentis extollit cornua, quin illius fulgoribus nobilium Soles eclipſim patiantur. Sed o beatam ætatem, ſi duntaxat Turcarum inter Reges, nec priuatos inter Chriſti Ciues (vti non in Potentibus) hi mores pariter verſarentur! Iſtos quidem omnes iuſtos confiteor, ſed nullum hodie Lycurgum diſcerno, qui non minùs rectus Princeps, quàm bonus Spartæ Ciuis, Pauperibus facultates æqualiter impertiatur. Plurimi quidem inter Infideles (abſque

Cinici lucerna) possent reperiri, qui, tot Neronum instar, peiores Patriæ Ciues, quàm Imperantes, proprijs etiam iocis vectigalia exigentes, ac lugentium ruinis deliciantes, Ciuium commoda sibi accommodent. Optimè ergo Philosophi,

Corruptio vnius generatio alterius.



Ex



Ex incommodis commoda.

XVI.

ERrat, auet risum qui alieno carpere luctu.
Se grauat oppressos qui sine iure grauat.



Mo-

Modicè, & tempore.

XVII.



Palingenius.

Immodici affectus animi quoq; gignere morbos
Consuerunt . . . . . .
Tristitia interdum nimia officit.

Sol-



Sollicitudo malum accelerat.

IN mundo nihil eſt certum.
Rotat omnia caſus.
. . . . In undis
Mergitur hic, auidiſque miſer fit
piſcibus eſca;
Ille cadit, præcepſque ruens perit,
aut malè languet
Perfractis membris; Alius niue,
grandine, & imbri
Obruitur. Sua fata pati conſtrin-
gitur omnis.

Irreparabiles ſunt calamitates, & tormenta. Ad hæc naſcimur, ad hæc

hæc viuimus, ad hæc fortaſſe moriemur.

Νόσους δ' ἀναγκαίας δεῖ ἀβλάβως φέρειν.

Vt remedia ſemper habeas, ſemper expecta. Cùm expectâris, illis facilè, ſi euenerint, medeberis.

Quid ſit futurum cras fuge quærere,

aufuge non parari. Medicinam verò priùs quàm corpus inficiatur, nè adhibeas. Vel ſi vti placuerit, ſaltem parcè vtere. *Sæpè optima eſt medicina non vti medicinâ*; Satiùs quidem eſt initijs, non expectationibus, morborum mederi. *Sua cuique rei tempeſtiuitas maximè vtilis eſt*. MITHRYDATICA tunc iuuant, cùm

Mo-

Modicè, & tempore iuuare debent. Si quis quotidianis, vt ventrem exoneret, impleatur Theriacis, quid proficient? Membra tabe concremabunt. Fractis ossibus apponantur, nec minuẽt, nec augebunt dolores. Opinione dictante angustias trepidamus, & statim solliciti ad mœrores confugimus. Quodque peius est, immodicos mœrores capessimus; & quod remedium credimus, mali irritamentum experimur. Quæ in dubio sunt fugimus, & plerunque trepidata non eueniunt. Quid autem hoc est nisi corpus prauis implere dispositionibus, quę cùm vel exiguum mali accesserit, maximum reddent?


dent? Cùm exigua febris ęgros occuparit, non ſtatim ad ſanguinem eliciendum prudens conuertitur Phyſicus. Primùm diætâ qualitatem, ac vigorem illius ponderat. Si feruor inſoleſcit, tunc venas reſcindit. *Nihil eſt in morbis magis periculoſum, quàm immatura medicina.* Sicuti antidotus, quæ veneni eſt particeps, corpus tantùm veneno infectum ſanat, ita ipſam ante venenum ſumere, eſt in veneni vſum conuertere. Quot ex hiſtorijs legimus, & quot noſtro tempore inſpeximus, qui vt ſaniùs viuerent, à ſuppoſitis tantùm morbis corpus purgare exoptantes, in intempeſtiuis medicaminibus


nibus mortem biberunt? Prudentiſſimus hinc Angelus Epiſcopus Aretinus, cui cùm Medici, aut pharmacis vtendum, aut pereundum dixiſſent, immiſſaque pocula ſubtus lectum diu celaſſet, tale illis tempus inopportunum forſan cognoſcens, ſuſcipere recuſauit. Manè porrò cùm Medici ægrum ferè liberum comperiſſent, idque ſuis tribuerent potionibus, tum ille quamuis non omninò corporis ſanus, mentis tamen prorſus compos, Magnas, inquit, enimuerò, & priùs incompertas mihi vires habere videntur, quę ſubtus lectum poſitæ ſanitati me reſtituêre. Quid facturæ ſi eas potaſſem?
Im-

Immortalem me profectò reddidiſſent. Si illæ igitur ſumptæ fuiſſent, cùm ſine earum præſidio Prælatus ſanus euaſerit, naturam profectò ita alteraſſent, vt quod priùs corpus parua opprimebatur infirmitate, ſanitate periclitari potuiſſet. Prudentiſsimus pariter venerabilis Vercellarum Epiſcopus, & Comes, Io. Franciſcus Bonomius, ſacrum meorum Maiorum decus, qui tam medicinis aduerſabatur, vt non niſi S. Cardinalis Borromæi, qui eum in ſuam familiaritatem receperat, præcepto, grauiſsima in infirmitate ſalubribus catapotijs voluerit accommodari. Nec non ſapientiſsimus Pauſanias,

ſanias, qui Medico cuidam ſibi dicenti, Senex euaſiſti; Propterea quòd te Medico non ſum vſus, reſpondit. Quare ſicuti extemporan is vti medicaminibus naturam opprimere eſt, non leuare, ita inopportunis animum curis vrgere grauare eſt, non recreare.

Temporibus medicina valet.
Data tempore proſunt.






Modicè, & tempore.


XVII.

AEgrotos Medicina iuuat. Medi
camina virus
Fient, nî fuerint tempore sumpta suc



Nî inflata.


XVIII.



Propertius.

. . . . *Agendum aliquid, si*
Vis esse aliquid.

Om-



Omnia otium vitiat.

SI quis emat citharas, emptas comportet in vnum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus vlli,

nonne omnium mereatur iniurias Musicorum? Ex actu dignoscitur Virtus. Non satis Gladiatori ensis, nî tractetur; Ianitori clauis, nî rotetur; Naui proreta, nî laboret. Neque satis Sapienti calamus, nî ingenio moueatur. Habere, nec vti, carere est. Imò melior priuatio, quàm non vsus.

Hæc .n. reprehensioni, quòd re possessa non fruamur, nequaquam nos subijcit. Quod in arcis aurum conditur, census non multiplicans conteritur. Qui in scrinijs eroditur Liber, mentem non erudit. Cum blattis rixari coguntur Vestes, quæ capsis relinquuntur. Mercatorem reddunt inopem merces, nî fide augeantur. Quid bona voluntas, nî bonus effectus consequatur? Velle bonum facere, nec facere, est malum velle; rectum quippe est dignoscere, nec exequi. Quid hanc iuuat TIBIAM ingeniosi Artificis opus esse, nî adsit qui scitè infler? Illius instar nostrum Ingenium, si honoris vento spi-


rante

rante non tumefiat, veræ ſonum
gloriæ non emittit. *Virum indi-*
cat Magiſtratus. E' cantu digno-
ſcitur auis. Haud ſufficit Citha-
ra, ſi procul modulator. Princi-
pi, qui dulci tantùm adulatoriæ
otioſitati aures accommodet, in
ſui ſtatus concentu nil proderit
benè temperata Conſiliariorum
harmonia. In tantùm claris ex-
ornamur qualitatibus, in quan-
tùm illarum actionibus tales cla-
reſcimus; ac in tantùm illarum
praxi eniteſcimus, in quantùm
earum effectus nos tales indicãt.
Καθαπέρ ὑπὸ μανδραγόρον καθεύειν,
eſt quâ nõ caremus potẽtiâ, velle
carere. Quæ in actu exercito non
ponitur Virtus, prętermiſſo quòd

ignota ſit, pro cadauere fœtido ſignatur, & olet vitium magis, quàm virtutem. Nec aliud eſſe poteſt, ſi ſepulta eſt. Balſamo imbutum terrâ cooperiatur corpus, vt cætera cadauera pro putrido habebitur. Vnde hoc? Celatus illius odor ad olfactum non perueniet. Monumentum aperiatur, priùs incognitam ſpirabit fragrantiam. Huiuſce Inſtrumenti foramina magiſtra percurrat manus, abſconditam effundet vocem. Demum pro certo habeas otij puluerem cuncta carpere. Vis, Poteſtas, ac Ingenium quid erunt, nî ſui dederint argumenta? Quænam Achillis Haſtæ fuiſſet vis, ſi inutilis ia-
cuiſ-

cuiſſet? Quæ paruo Macedonum Sceptro Poteſtas, nî Alexander auxiſſet? Quæ Archytæ Ingenio ſubtilitas, nî ſe volatibus ſuſtuliſſet? Rectè igitur non diſtanti à Vate ſenſu concludam,

Eſſe tuum nihil eſt, niſi te eſſe hunc nouerit alter.





Ni inflata.

XVIII.

INgenium cessans rubigo comparat Ensi.
Hinc librat in dominum vulnera sola suum.



Dis-

Difficilius retinere, quàm consequi.

XIX.



Euphorion.

Haud facilè cumulus aceruatur etiam longo tempore;
Vno verò die facilè dissipabitur.

Quà



Quà non aufugit capias.

N*On minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.*

Aurū, Sapientiorum ſcopulus, ac naufragus humanæ ambitionis portus, in ſua velocitate, qua è poſsidentis manibus elabitur, Mugil eſt. In hoc Mundi Oceano Natura permiſit, vt Rhaia tantùm, ac Paſtinaca tardiſſimi Piſces, Senum imagines, in ventre poſſent occultare. Quamobrem quò rariores ex his reperiuntur, eò rariùs in ærarijs illud diu

reti-

retinetur. Inter metalla eſt ponderoſius, vt ſedulam hominis leuitatem derideat, qui cùm omnium animalium ſit infirmiſsimum, metallorum grauiſſimo poſſe multùm ſuccumbere inſipienter ſibi ſuadet. Eius grauitas, quæ ex ſui natura ſemper deorſum tendit, cum alta Diuitum ſuperbia per longum tempus non poteſt commorari. Quare *Damnoſum eſt opibus affluere, ſi deſit ars retinendi*. Hæc porrò difficillima eſt, quæ exerceatur, cùm illæ omnium inuidiam, & ſic inſidias in ſe concitent. Non abſque Naturę myſterio Aurum ſepultum naſcitur. Quodammodo ſe celat, ne proditorum inſi-

insidijs prodeat. Nec sine consilio id peragit, cùm omnium scelerum nocens se noscat. Vt tale, semper pallescit. Quòd assiduis Innocentiæ querelis reatûs accusetur, absconditum oritur, viuit, ac sepelitur. Verùm si ab alijs solùm insidiæ illi struerentur, non tanti ponderis esset difficultas. Periculosè quidẽ seruatur quod multi desiderant; sed industriam præstat auaritia. Quare si illud, Hesperiorum instar fructuum placet, custodiæ profectò Serpentes inuenirentur. In hoc negotium est, quòd Aurum ipsum (quod cùm purius, dolosius) suum contra onus vt fugæ à semetipso leue reddatur operam

im-


impendit. Quod mille, ac mille ſuper corda tyrannidem exercet, quamuis in terræ carceribus natum, vnius poteſtati ſubditum ſe fieri per magnum ætatis non patitur. Deliciæ ipſæ, quas nobis videtur miniſtrare vt illo meliùs perfruamur, ipſi miniſtræ ſunt vt ſe liberet expeditiùs. Aureis poculis, veſtibus, ac catenis, illaqueat, impedit, inebriat, ne fugiens ſobrijs obſeruetur, inuolutis ſiſtatur, ac vinctis detineatur. Teretis figuram ſumit, vt faciliùs ad fugam ſe rotet; Schidiæ, vt inter digitos commodè dilabatur. Ne detegatur, obcæcat; vt ſopiat, tinnit. Tandem, ne diu inter ferrearum compe-
des

des arcarum claudatur, ferro ipſo (o facinus!) per poſſidentis venas ſibi viam aperit ſanguinolentam. Quid plura? Viſne, Homo, facilis illius fugacitatis firmius argumentum? Aurum PHASIANVS eſt. Hic exquiſitior inter volatiles, illud pretioſius inter metalla. Si per caput æquitatis prehenderis, tutè dabitur retinere. Si per fraudis Caudam, tantùm delicti poſſeſſor remanebis. Iuſtis repleat arcas diuitijs IIII. Angliæ Rex Odoardus, ſe & gazas ſuas diu ſeruabit. Nefandam auri congeriem extruat Crœſus, auri iacturâ vitam amittet. Fuluæ laminæ fulgores fulgura ſunt. Nondum apparuere,
& di-

& dispereunt. Hinc

Tueri parta difficilius, quàm adquirere.






Difficilius retinere, quàm consequi.

XIX.

FLuxibile vt nobis monſtraret Iupiter Aurum,
Dum ſe aurum fecit, ſe quoque fecit aquam.



Acta genus monſtrant.


XX.



Palingenius.

. . . . *Qui malus aluo*
Exierit, rarò poterit iuſtuſque, bonuſque
Eſſe, licèt doceat ſanctos Academia mores.

Mali



Mali Corui malum ouum.

D*Ifficile semper fuit occultare ingenitum morem.* Ita est. Nemo contradicat. Experientiâ edoctus queror. Adeò tamen rationis non sum expers, vt tali peste infectorum nesciam quoquo modo misereri. Non possunt indigni, vel nolentes, aliter agere. Gemitum columbæ nescit coruus emittere; Nec bubo aquilæ volatus extollere.

. . . . *De rana rana creatur,*

Et

Et ſimiles partus ſordidus Ales habet.

Quid faciant cum ſponte ſuæ indulgent naturæ conſideres. Iudicio caret qui velit naturam in re qualibet mutare.

. . . . *Expellas furcâ, tamen vſque recurret.*

Inter cineres, ac carbones quantumuis celetur ignis, ſemper amburet. Congeletur omninò aqua, non poteſt non humefactare. Tritum eſt *Lupum mutare pilum, non mentem*. Vt abiecti flagitia deponerent, nec ſufficeret eorum buſtis Nobilium capita commodare. Licèt nihil turpis in his eſſet, prauæ qualitates in illis permanerent. Nimis hæret

ret in intimis eorū medullis malum. Si totus ſanguis eliceretur, vix ſufficeret, dum alter ſpiritus non imponeretur. Lac, quod fœdis Genitorum moribus obnigratum fuit, è corporibus quæ enutrijt de difficili candorem poterit transfundere. Sed quid ſi mala acceſſerit indoles? Mecum mane parumper, Lector, nec profecto à mea declinabis ſententia. Rationem vis noſcere, cur plebeio ſemper viles ſint mores? In promptu eſt. Iam nôſti nullam cauſam poſſe effectum ſui diſſimilem per ſe producere. Igitur ſanguis infectus puros mores nequit parere. Secundùm naturam bonos ex bo-

nis

nis faciliùs creari putant. *E' ſquilla non naſcitur roſa*. Alioquin contraria ex contrarijs gigni oporteret fateri. Quid inde obſtupeſcis, ſi quotidie tam diri inter homines inueniuntur, qui fidem benefactoribus frāgunt; qui ſuarum proditionum pretia petere ac ſuſcipere non erubeſcunnt; qui rariſſimè, & apparenter ſolùm (quod peius) templa excolunt qui fraudibus, ac aliorum ruinis viuunt; qui ſibi degentes, ne alij ſua detegant crimina, cunctorum irritant contumelias Poſterorum? Et tamen aliqui adeo ſimplices reperiuntur, qui tam quam noſtri ſeculi Diogenes illos venerentur? Partim verò excuſa-

cuſabiles hi ſunt, nam cùm ipſi Virtutem ſequantur, eos tanquam Sapientes colunt. Fallimini incauti. Toto erratis Cælo. Virtus, & Vitium non coëunt. *Nec vllum excelſi ingenij Hominem turpia delectant.* Nam quæ veræ ſunt Virtutes ab aliarum ſui ſimilium ſocietate nunquam ſegregantur. Vnâ (ſi qua eſt) corruptâ, omnes vitiantur. O quantùm veniâ dignos vos cenſeo! Ecquis his retibus non implicaretur? Alij quoque, vobis non inferiores, in laqueos inciderunt, qui talibus decepti apparentijs, proditione tandem detecta, ſibimet laudabiliter ingemuere. Sed vnde in iſtis talis pœnitentię ori-


go emanauit? Solùm hinc, quòd Improbis huic SPHINGI ſimilibus crediderunt. Huic, quæ turpiter nata, turpiter viuit; nuda orta, veſtiri nil curat; holoſericó induta, ſuccidam appetit endromidē; in ſpurcitijs credit pinguefcere; ac cùm māſueſcere fingit, ſæuiùs mordet. Huic, quæ ſicuti maligno ſuæ naturæ iā noto defectu in maiori maieſtatis gradu ſuam detegit turpitudinem; ita illi in fidelioribus honoris tractibus ſuam accuſant proditionem. Id verò prouenit, quòd illius ſententiâ,

Quem ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Non

Non duo tantùm nunc tibi adducam exempla, at iſtam veritatem integra teſtabitur Reſpublica. Ad Popelli manus Syracuſius perueniat Senatus, innumerę audientur querimonię, infinita enumerabuntur flagitia; quandoquidem ſcaturigo fœtens ſemper ſuam ſeruat originem, nec odoras poteſt vndas emittere.

Semper in antiquum ſordida corda ruunt.





Acta genus monstrant.

XX.


„NAturam frænare potes, se(
vincere nunquam.
Turpe notant ſemper turpia facta ge
nus.



Nè

Nè nimia.

XXI.



Lucretius.

Diuitiæ grandes homini ſunt viuere parcè.

Im-



Immoderata nocent.

A*Rs magna est ſatiari*, non quòd res ita ſe habeat, ſed quia abuſus talem reddit, Moralium exclamauit Magiſter. Benè dignoſcitur quòd *Sapienti facilis victus*, at humanæ cupidinis defectu haud cognoſci permittitur. Auaritiæ libido, quæ in ſuis paſsionibus modo caret, animam ipſam plerunque in errorem inducit, obiecta exteriora, quæ merè bona non ſunt, pro bonis inſinuando. Inde illa, quę

in ſua ſupernaturali qualitate infinitè eſt appetibilis, in vitæ curſu, quaſi recens Atalanta, auri malo capta, bonum exiſtimans, ſummè illud deſiderat, & ſe perdit. Verùm quia hoc pomum non modò non ſaturat, ſed famem quoq; magis nutrit, væ illi, qui ad famelicam cupiditatis menſam epulando, talem comedens cibum, ieiunat. Qui ad illam tendit, ad famem augẽdam properat. Poteſt quidem Auarus Auri dapibus veſci, at nunquam ſaturari. Imò quò plus ſatur, magis famelicus. Multiplicabilis hæc eſca, Titij inſtar iecoris, decreſcendo creſcit. Obteſtemini vos, quorum Deus
ſcri-

ſcrinium eſt, rapaces noſtri ſeculi Vultures; vos inquam, qui deſperatæ Pauperum egeſtati extã abripitis, qui Viduarum, ac Pupillorum ſanguinem ſugitis, qui nunquam languentium Debitorum domos circuitis, quin ruinam, ac mortem præominemini. Quid creditis? Aliorum carnibus pingueſcere? Has auertite cogitationes. Poteſtis quidem alienarum ſubſtantiarum eſſe PARASITI, ſed ſimul vobis macreſcere neceſſe erit. Quinetiam quò magis opum dapibus cupidinis ventrem onerabitis, faciliùs dirũpemini; exitum enim quærit repletio. In Auro crapulari eſt & animæ, & corporis ſa-

nitati præiudicium afferre. Non enim poteſt talis cibus, qui totus terreus eſt, ac, quòd ſepultus oriatur, Cœlo contumax, ad ſalutem diutiùs præſeruare. Ille ſi non vermibus corrumpitur, homines ſaltem, qui vermes ſunt corrumpit. Idcircò quia grauis, graues illius morbi. Tale ferculum tantam in ſe habet potentiam, vt, vel omninò ſiccum, inebriet. Hinc Vatis veniâ exclamare nè interdicatur;

. . . . . *Quæ non deliria cogis*
Auri ſacra fames?


Per te infirm , quas inſaniæ vires non exercuerunt Tyranni? Non d ſunt hiſtorijs Caligulæ, ac Domitiani, qui cùm inexplebilia

Da-

Danaidum eſſent dolia, vt propriæ ægritudini medicinalia prębeꝛent pocula, Subditorum ora venenis aſperſere; imminentia bella ſuppoſuerunt; falſas rebelliones finxere; ac vel à mortuis tributa abſtulerunt, vt in alienis luxuriarentur ieiunijs. Itaque in hoc negotio nihil lautius ſobrietate; nanque *Natura paucis contenta. Si ſuperfluis illius ſatietatem velis vrgere, aut iniucundum quod infuderis fiet, aut noxium.* De hoc ſatis clarum præbet exemplum auri allucinatione obcęcata obrutæ Tarpeiæ auiditas. Felix è contra Scipio (Maiorem intelligo) qui diuitias è Reipublicæ adminiſtratione reſultan-

tes contemnens, talibus inſidijs non ſubijcietur. *Quare ſi ad manum eſt quod ſatis eſt, & ad ſuperuacua ſudatur*, ad damnoſa ſemper laboratur. Τὸ δὲ φύᾳ κράτιςον ἅπαν. *Qui ad naturam viuit, nunquam pauper; qui ad vota, nunquam diues eſt.*





Nè nimia.

XXI.

AVrificans epulas peris (heu!) Myda. Qui nimis optat
Cogitur aurata sæpè perire fame.



Quò

Quò plùs, minùs.

XXII.



Bocchius.

Arcana quærens curiosus perit.

Præ,



Præquirere vitare non eſt.

F*Atis agimur, cedite fatis.*
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati fœdera fuſi.
Quidquid patimur mortale ge-
nus,
Quidquid facimus, venit ex al-
to.

Sapientis non eſt præuidere in ijs, quæ non aliter euenire nata ſunt. Temerarij eſt velle ſine alis ſubuolare. Ceratas curarum pennas velle nimis in altum tol-

tollere, est ad timorum pœnas se erigere. Vitreo mortalitatis oculo velle æternitatis abyssos perlustrare, irritare fulmina, non euitare est. Inuisibile est arcanum hominis, qui paruus est Mundus, vide an Cæli. *Mentem celarunt Mortalibus Immortales*. Quæ in nobis, parùm ad nos pertinent; quæ supra nos, nihil ad nos. Quæ in homine à Deo infunditur cognitio, datur ne per suæ fragilitatis limum obrepens cadat, non vt ad aëra se extollat. Quantùm amens timidorum est speculatio! Stellæ, quarum lucem in obscuro vitæ itinere sequi debemus, sunt mentis lumina, non poli sidera. In-

finita

finita Cœli rotunditas noſtros fines in ſuis motibus præcognoſcere non permittit. I nunc ASTROLOGE, & te circum ORBEM Geometricum euolue, vt Orbis ætherei effugias pericula. En quod magis vitabas magis inueniſti. Nunc

. . . . Quid tibi prodeſt
Aërias tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe Polum morituro?

Ah miſer! Quid tua te nunc iuuat fruſtranea ſedulitas? Οὐκ ζώει δὲ μᾶσσον ὄλβος ὀπιζομένων. Velocitas fulminis conſilium capere non concedit. Dum minatur, ferit. Aſtra, quæ vno aſpectum mutant momento, non


tantum temporis ſinunt, vt eorum triſtes, aut benignos influxus præuideamus, vel vitemus. Firmanda eſt mens in Euchariſtico Orbe, Cœleſtis Sphærâ Archimedis, non voluenda circum fragiles terreſtrium Artificum Moles. Vera Theologia, non falſa Aſtrologia à fulminibus tuatur. Impotens fulcimen in fulminantes Cœli ruinas eſt circinus. Rectam solùm conſcientiam verum propugnaculum exiſtima. Experti ſunt Simeon Myſiæ inferioris Princeps, ac Petrus Rex Caſtellæ, caſtella in aëre illos extruere, qui aëreis Aſtronomorum prædictionibus fidem præſtant, dum ijſdem op-
preſſi


preſſi bellorum molibus periere, quibus quò plus ipſi ſuas glorias ædificare crediderunt, minùs ſtabiles inuenerunt. Fruſtraneum eſt præuidere quòd vitari non poteſt.

Crux eſt, ſi metuas vincere quod nequeas.

Vis ex Poëtarum nugis ſeriam veritatem decerpere? Audi

Deniq; nil ſapere vlteriùs, quàm opus eſt, ſapere vnum eſt.






Quò plùs, minùs.

XXII.

ASTris nè credas. Bona mens bona sidera voluit.
Stellarum errores lubricus error habet.



Com-

Comprime, & noſces.

XXIII.



Plutarchus.

Sal, & menſa probant amicum.

Si



Si quid ſucci.

N*Vllius rei tam difficilis, quàm humanarum paſsionum coniectura, exiſtimatioq; eſt.* Cogita hinc quàm inſipiens ſit qui verum Amicum ab externis tantùm qualitatibus dignoſcere ſibi ſuadet. Animus noſter Tertulliani inſtar pauonis, *Multicolor, diſcolor, ac verſicolor, nunquam ipſe, ſemper alius, & ſi ſemper ipſe, quando alius*, in eodem ſtatu nunquam permanet. Hodie quis Amicus iudicatur, qui

Adu-

Adulator cognoſcetur. Stultum eſt credere mortali lumine cor cretâ inuolutum poſſe intueri. Vix ſatis eſſet Socratis feneſtrella, ſi oculi etiam Lyncei ad inſpiciendum ſuccurrerent. Verę Amicitiæ argumentum nec longa perpetuæ beneuolentiæ annorum ſeries eſſe poteſt. Imò quò longior, dubioſior. Tempore enim amoris ignis in gelu conuertitur. Et quæuis paruula indignationis nubes ipſum extinguit. An proficuus ſit ſodalis optas experiri? Sui auxilij calorem pete. Si calefaciet, ex durabili quercu erit flamma; ſin minùs, ex leui palea. Non abs re

Exitus acta probat, dixit ille.

Sed

Sed heu nimis tenaciter tyrannidem hac ætate exercet Intereſſe. Amicitia marito viduatur merito, vbi illud beneficiorum obliuioni deſponſatur. Illius machinæ cognationes, ac ſtatus, nedum amicitias proſternunt. Id tantùm noſtris diebus vnicus ſcandali eſt ſilex. Verùm omittamus, nam percuſſus plures odij, quàm amoris ſcintillas emittit. Clarum quidem eſt humanarum mentium inſtabilitatem ex natura dependere, iuxta Iuriſprudẽtum axioma *Mens hominis ambulatoria vſq; ad mortẽ*. Illa porrò, ſi non cogit, ad malum tamen plùs, quàm ad bonum inclinat. Quare ſi calidum

temperamentum nimis in petitionibus feruendo plùs irritat, quàm captet, & si frigidum potiùs tepefacit, quàm calefaciat, tanquam defectus naturales excusandi forent, nec in Amico subueniendo promptitudinem deberent diminuere. Cuncti eodem componimur luto. Solùm vel maius, vel minus aut calidum, aut frigidum in modis nõ distinguit. Hæ porrò qualitates quæ, cùm veniant ex alto, in nobis sunt præter nos, contumacem in Amicitijs hominem non deberent homini reddere, nec beneuolentiæ actûs impedire. Semper viri fuit honorifici φιλοῦντα ἀντιφιλεῖν. Hinc cùm egesta

tis

tis infirmitas Amici MALVM MEDICVM perſtringere cogitur, ſuccus emittendus, non retinendus. Ita agendum, vt ille non mentiatur, qui dixit,

Nec quiſquam eſt melior Medicus, quàm fidus Amicus.


Nulla Amico pulcrior poſſeſsio. Si poſt plurium annorum culturam ſuo tempore fructûs non pariet, aut pro tellure tantùm ingratitudinis fęcunda habebitur, aut fictionis talpam in illa ſepultam meliores radices eroſiſſe iure credetur. *Cui ſunt Amici eſſe ſibi theſauros putet.* Iſtorum aurum poſtulationum ictibus exponendum. Si dulcem reddet ſonum, aurum erit; ſi aſperum,

orichalcum. E' mille exempli vnum ambas comprobet verita tes. Pompeius Ptolemæo ad sc confugienti, vt Rex coronetur auxilium præſtet, quale ſinceriu veræ Amicitiæ aurum eſſe de beat oſtendet. Eundem ad ſe re fugientem iubeat interfici Ptole mæus, proditionis ferro immix tum demonſtrabit. Vt vera ve rè probetur Amicitia,

In rem venias oportet.




Corn-



Comprime, & nosces.

XXIII.

MAlleus eſt petere. Hoc, quem gemmam credis, Amicum
Percute; ſic vitrum à vero adamante patet.



Talenta, non Thaliā.

XXIIII.



Adrianus VI. Pont.

Desine pro numeris nummos sperare Poë-ta.

Au-



Aurum vera Chelys.

AVrea nunc verè sunt secula. Plurimus auro
Vênit honos.

Heu quantùm me hac tempestate genitum deploro! Quantùm, inquam, memet hac ætate degentem odi, qua auri fulgores Virtutis lumen, vnà cum obtenebratis Hominum mentibus, allucinantur! Quinimò aspiciens hodie imperantes Auri pallores, illo magis expallesco. Ecquis præ timore non expallescat, cùm,

tam nefando duce, insidias, fraudes, mortes (& si quid peius reperitur) victrices palmas extollere intueatur? Interiere felicia illorum temporum monumenta, quibus Aurum Virtuti pretium effundebatur. Nunc Auro Virtus seruire cogitur. Captiua pro scamno superbienti Auaritiæ subijcitur. Nihil est, quòd nunc exclamet Sulmonensis,

Ipse licèt venias Musis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras,

nam si ad Magnatum ostia pulsauerit Homerus, non erit eundum foras, nam nec ibit intùs. Sed peius luge. Acerrima fame tor-

torqueatur Statius, vix cui Carmen integrum panis frusto vendat reperiet. O ætatem execrandam! Auri æstimatione Virtuti pretium adimis. Veram meriti substantiam in substantiarum multiplicitate consistere autumas. Neque hoc contenta, Virtutis fruitione, quæ inseparabilis substantia est, accidentalium substantiarum possessionem potiorem esse defendis. Blasphemiam audi, sed heu nimis veram! Virtus hodie in Auro consistit, non in Lauro. Quid nunc Vatibus prodest, quòd Poëtarum Siren cecinerit,

Est Deus in nobis, sunt & commercia Cæli,

ſi auaro hoc tempore

. . . *Diuina, humanaq; pulcris*
Diuitijs parent?

Aureæ tyrannidis impietatem! Sapientiam conculcant diuitiæ; Gloriam AVARVS premit. Qui opulentus, non qui ſapiens eſt, pro ſapiente habetur. Scribas hoc in pectore, mi Lector. Et ſi quis amor erga Litteras tuus te ad Flaccos, ac Marones nominandos quandoque inuitauerit, Cręſorum, Craſſorumq; agnominibus memento appellare. Si aliter feceris, in te totius Orbis iram concitaueris. Non ampliùs Dux viuit Pelleus, qui Thebarum victor ſolius Pindari penatibus parci velit. Inter effrænatas

qui-

quidem Neronum mollities primùm Senecæ venas aperire laus est. Fallere, mi Cordubensis. Incautè, hodierni respectu seculi, illud celebre dictum ab ore decidit.

Nunquam potest non esse Virtuti locus;

Mecum potiùs illius miserias sic defle;

Nusquam potest nunc esse Virtuti locus.

nunc, qua ætate

Auro loquente, nihil pollet quævis oratio.



Talenta, non Thalia.

XXIIII.

AVree Phæbe procul. Quod pandis crinibus aurum,
Quiſque videre poteſt, tangere nemo poteſt.



Rés

Res humana bifrons.

XXV.



Seneca.

. . . . *Dolor, ac Voluptas inuicem cedunt.*

Vbi



Vbi mel, ibi fel.

. . . . . N*Ihil est ab omni Parte beatum.*

Non aliâ, vt opinor, percitus causâ omnipotens ille Archimedes, cuius nutu inter rectos diuinæ architecturæ terminos totum limitatur, materiarum diuersitate, mundanâ scilicet corruptibili, cęlesti verò, quòd (communiori sententiâ) ab hac nostratium differat, incorruptibili, Vniuersum construxit, nisi vt Mortalibus

bus innoteſceret, quòd *Res humana bifrons* ſuas vbique patitur inuerſiones. Duorum ſuper firmitatem cardinum fundauit, vt oſtenderet, quòd ſi noſtræ obſtinationis in peccando eſt profunditas, diuinæ Pietatis in remittendo ſe extollit ſublimitas. Duobus magnis Luminaribus illuſtrauit, vt noctu, diuq; hæc nobis ſplendeſceret veritas, lucem ſine tenebris non reperiri. Elementa quattuor in duas diſtribuit ſpecies, quarum altera oneroſa, altera ſine pondere libraretur; vt nullam grauitatem leuitate carere indicaret. Binam tempora in claſſim diſpoſuit, quarum vnam glacialem ſeminibus,

aliam

aliam ardentem messibus destinauit, vt Iuuentutis calorum subsecutrices senectutis niues, ac omnis spei suos metus comites manifestaret. Demum, vt breuibus vtar, maximum suæ dextræ opus, marem, ac fęminam, illum perfectionem, hanc naturæ defectum creauit, vt *Rem humanam bifrontem* esse vndequaque patefaceret. Hinc Homo in ipsa absoluta arbitrij libertate tyrannicis suis passionibus sponte seruus viuit. In bipartita anni determinatione millies nascitur, ac moritur. In seiuncta temporum dimensione frigora, & sudores tolerat. In bina elementorum segregatione illis generari,

ri, & corrumpi se agnoscit. In duobus Luminaribus voluptatis diem, & doloris noctem nanciscitur. In duobus probat Polis profunditatem quasi per consensum altitudini opponi. Ac in gemina materia totum componente partis diuinæ, atque humanæ sibi à Deo traditæ discernit distinctionem. Imò idem in Materiarum contrarietate experitur, quòd si ab Anima, quæ æterna est, ductus, ad sublimiora se tentat extollere, à Corpore, quod fragilitatis fundamentum est, ad inferiora tractus, impeditur. In opposita Cardinum duplicitate, quòd si ad ardua se sublimat, ad ima ruere periclitatur.

In Cęlestium Lampadum gemi-natione alternatim suos ortus, atque occasus quotidie sustinentium, quòd

Prima quæ vitam dedit hora, carpsit.


Experitur in diuersa Elementorum congerie, quòd si ex duobus constantiam, ex alijs mobilitatem recipit. In differenti temporum ordine, quòd si Iuuentus genas floribus pingit, tempus rugis obturpat. In binis Anni semestribus, quòd totum huius euolantis vitæ esse inter duorum extremorum terminos clauditur. Experitur tandem in gemino Sexu discrepanti, quòd si sano ditatur arbitrio, infirmâ do-

catur

tatur potentiâ. Quare hunc Labyrinthum, ſi non in Creta, ſaltem ſupra miſeram hominis cretam volubilis mei calami ambagibus formatum poteſt Mundus percurrere, & ex tot duplicitatibus, & ex hoc bicipiti THOREVMATE intelliget, quòd *Omnia abeunt in naſcendi, pereundiq; gyrum*; quòd *Res humana bifrons*. Et ſi ſatis hoc nondum edidicit documentum, vltimam apprehendat lectionem è primis omnium Parentibus, cordis ſanguine lacrymabilem. Nati illi ad vitam inter delicias terreſtris Paradiſi, ijdemque nacti mortem inter rigores inclementioris Cęli. Diſce:

Gaudia habent luctum, gaudia luctus habet.


Res



Res humana bifrons.

XXV.

IAne biceps, Mundi varians fallacis imago es.
Occiput inde malum, ſinciput inde bonum.



Aut caue, aut ſiſte.

XXVI.



Heſiodus.

Qui inconſideratè loquitur ſentiet mala.

Non



Non intrandum, ſi norma deeſt.

E*St aliqua Sapientiæ pars ſilentio ſtultitiam tegere.* Non negandum cenſerem Naturæ prouidentiam inter dentium valla linguam clauſiſſe, ne nimis licentiosè effugeret. Præuidit optimè, quòd humido in loco illam poſuiſſe erat ad lubricitatem expoſuiſſe. Eius fluxibilitas nimiùm periculoſa viſa eſt. Agnouit illius acumen facilè ſibi iter ad exeundum aperire. Sciuit eam quo-

quodammodo fulminis inſtar effectam ad ruendum præpetem eſſe. His cognitis, quaſi ſe corrigens, dentium obſtacula antepoſuit. Nec quidem, vt retineretur, niſi oſſium fortitudo debebat opponi; adeò enim furioſa eſt, vt vix quoque illis impediatur, quin tranſcurrat. Si Natura igitur ipſa, quæ ſemper ad perfectionem tendit, viſa eſt, vt ita dicam, ſe corrigere, ſe quoque corrigant Inſipientes ij, qui imperfectionibus abundantes, os neſciũt aperire, quin propriam aperiant ignauiam. Et ſi tamen benè loqui ignorant, id facere illis ſit tacere. *Incautæ linguæ vectigal calamitas*. Illa, ſi facilè

volat,

volat, loquentem faciliùs violat. *Tacendo insipiens pro sapiente haberi potest*; loquendo insipientem se monstrat. Maior tamen appendix interponitur generali ipsa hac regula non minùs obseruabilis. Plures vnicuique sunt linguæ. Interdum quæ in ore est, est minor. Minima supercilij eleuatio, vel suppressio quandoque magis locuta est, quàm centum ora. Loquitur caput suo motu, & sæpè eum à quo mouetur capite carere indicat. Loquitur oculus, & inoculatum loquentem plerunque accusat. Loquitur cubitus, dum parùm torquetur, & torti torquentem iudicij frequenter culpat. Loquitur

manus, & inter digitorum ſpa-
tia, ſe claudendo, ac recludendo,
multa elabi confirmat. Pes lo-
quitur, & pro gloriæ veſtigijs
crebrò ignominiæ imprimit ve-
ſtigia. Cunctis ergo pro obſer-
uato habeatur in quolibet iſto-
rum idiomate æqualiter ſuam
linguam moderari, nam

Quod ſemel emiſſum, volat irre-
uocabile verbum.


Id omninò per praxim intellexi-
ſtis vos, Sereniſſimi Adriæ Har-
pocrates, admirabile quorum
ſilentium inter cęteras, quibus
effulgetis, Virtutes ſpectabilibus
pro octauo Orbis miraculo cun-
ctis terrarum gentibus excolitur.
Vos, Regalia quorum Senatû
Con-

Consulta plùs occultantur, quò pluribus statuuntur. Vos, quorum linguarum continentia virginem Sceptri incolumitatem seruauit. Vos tandem, quorum quisque Libertatem Regni è linguarum captiuitate recognoscit. Prosperet ergo tantundem diuina vos bonitas, quantùm ipse, cum Vniuerso, in omnibus, & in hoc præcipuè veneror. Vos toti Mundo pro exemplis proponam, Fidelissimi Optimates, qui id etiam quod vobismet ipsis, nedum vestris obnoxium est coniunctis (vt Rempublicam vnusquisq; vestrum conseruet, & augeat) extra pectus non emittentes, ostenditis Linguam rubro

colore MISSILEM esse IGNEM, qui si inaduertenter accendatur, accensori non modò derisionem, sed damnosam quoq; affert perditionem, & edocetis quòd

Nobile lingua bonum si fari in tempore nouit;
Nobile lingua malum si fari in tempore nescit.

Μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι σιωπή.



Aut



Aut caue, aut siste.

XXVI.

VT ſapiens habeare, ſile. Doctrina ſilere eſt.
Quiſque loqui potis eſt, non benè quiſq; loqui.



Non omnibus æqua.

XXVII.



Xenophanes.

Non omnia omnibus æqua feliciter succedunt.

Fons



Fors ſemper forſan.

F*Raus ſublimi regnat in Aula*; admonens ait ille.
Fraus ingenti regnat in ALEA, admonitus dicam ipſe. Nec minimo quidem aſſe Aleatorium, ac Aula differunt. Non minùs in hoc, quàm illo in loco, tanquam idolum colitur Fortuna. Illic leuitatibus chartarum; hîc cogitationum vanitatibus ipſam vnuſquiſq; ad ſua trahere nititur deſideria. Hîc libertatis compedum vota, illic auiditatis ma-

nicarum tabellæ appenduntur. Illic patrimonia prodiguntur; hîc arbitrij facultates perduntur. Illic pictæ imagines, hîc ficti aſpectus decipiunt. Anceps in Aula omnis potentia; dubia in Ludo omnis pecunia. In hoc, quos vocas, numeri non reſpondent; in illa, quibus aſpiras, dignitates effugiunt. Vtrobique vbi velis nolunt, vbi nolis volũt. Hîc creſcendo, vel decreſcendo chartæ; illic vel augendo, vel minuendo exiſtimationis creſcit, & decreſcit poteſtas. Hîc punctus aut ditat, aut pauperat; illic in puncto vel felicitatur, vel infelicitatur. Hîc Rex aut eleuat, aut premit; illic Rex aut perimit, aut
sub-

ſubleuat. Hîc frons, vel humerus Principis; illic Sortis Reginæ cæſaries, aut caluities beat, vel torquet. Tandem vbiq; te vertas, vbiq; paritas. In Ludo fumus fit cupido; in Aula fumus eſt ſpes. Illic emitur, hîc venditur. Illic fletum ciet; hîc riſum claudit. Illic ludicris belli Enſibus auri oneri pugnatur; hîc adulatorijs pacis ſecuribus honoris auræ decertatur. Illic donec fictitia tractantur numiſmata in pretio habentur; hîc donec Principi inſeruiunt Aulici, tanquam imagines coluntur. Poſt ludum, illa vt falſa negliguntur, ac omnium pedibus conteruntur; Poſt ſeruitium, hi vt fallaces conte-

mouuntur, ac cunctorum iniurijs conculcantur. Hinc, & illinc pari ſemitâ ad Sortem omnes tendunt; ſed *Non omnibus æqua*. Hinc piratam videmus, quòd benè nauigatoriam ſuæ mordacitatis chartam iactauerit, Alexandri gratiæ victorem euadere. Illinc ſub Rhamiro Hiſpaniarum Rege, eâdem causâ, plures Magnates vitæ iacturam facere. Quamobrem mihi licitum faciam dicere,


Obſcuris luces illuſtribus Alea noctes
Mutat, & alternas gaudet habere vices;

non multùm à ſententia diſtando illius Vatis, qui cecinit,

Clara

Clara tenebrosis, illustribus Aula tenebras
Mutat, & alternas gaudet habere vices.






Non omnibus æqua.

XXVII.


ALea, quæ imos ſummis, ſummos æquat & imis,
Aula eſt. A' fauſta vel tibi ſorte time.



In

In peius.


XXVIII.



Seneca.

. . . . . . Nulla dies
Mœrore caret, ſed noua fletûs
Cauſa miniſtrat ſemper.

Nuſ-



Nuſquam meliora.

INcidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Infelix omninò mortalitas! Vndique te volue, vndique miſeriæ. Malam euita, peiorem inuenies. A fronte prçcipitium, à tergo lupi. *Cum circumſpexeris omnia, nullas videbis anguſtias inanes.* Calamitas lex naturæ eſt, non rigor. Humanam vitam lacrymarum eſſe vallem iam ſatis nôſti. Dextrorſum illam ſuſpiriorum obtegunt montes, ſiniſtrorſum


ſum circundant fletûs maria. Si obſcura vnius diei hora nos conturbat, tota nox tenebroſa ſubexcruciat. Si incerta quietis valetudo nobis animum recreat, mille curarum febres infirmant. Si breui voluptatis autumno perfruimur, longa ęrumnarum hyeme affligimur. Campus bellicus ſimul, ac frumentarius eſt Mundus. In illo victrices palmæ ſanguine irrigantur; in hoc flebiles meſſes ſudore fęcundantur. Ecquid mali mentis oculis ſubijcitur, quod peioris imaginem non repræſentet? Pueriles vagitus viriles cient calamitates. Inſcij ſingultus mortalium ſuſpiriorum ſunt præludia. Corporis com-

compoſitio ex contrariorum putredine conglutinata nos tineis pabula deſtinat Quid plura? Quod nobis bonum videtur, non tantùm bonum non eſt, imò malum, & (quod peius) mali peius. Dapes, quæ quò lautiores, eò faciliùs infirmitatibus nos enutriunt, cadauera ſunt; cædium ſimulacra præmonſtrant. Sericæ veſtes, quæ noſtram detegunt ſuperbiam, pondere nos grauant; vermium repudia ſunt. Effrænatæ Senſus voluptates, quę paulatim nos ſtillant, lectis plerunque affixos frænant; ſenſum inſenſibiliter adimunt. Luctibus ſuccedanei luctus: Muta horum te doceat PISCICVLORVM

fecundia, qui dum feruens oleum effugiunt, in prunas decidunt. Non vnus hodie haud fabulosus est Icarus, qui non fictam doctrinæ præstet basim, dum è carcere periculum mortis fugiens, mortem ipsam in mari comperit. Circea effugiat Vlysses pocula, lethalibus Sirenum cantibus obturandæ erunt aures. His elapsis, aspera aquarum discrimina euitet, asperiores piscium spinas experietur. Sole clarius est, quòd in Mundo

Finis vnius mali gradus est futuri.


In



In peius.

XXVIII.


IN peius si cuncta ruunt, quid prospera curas?
Solùm abit in melius qui meliora timet.



Ob-

Obtenebrat, & clarificat.


XXIX.



Taurellus.

Arduum non est per Typos gloriam imprimere, sed gloriam mereri.

Di-



Diuersæ causæ diuersus effectus.

P*Rudentiâ omnia maturanda sunt consilia*; Quæ etenim minùs maturantur, damno magis exacerbantur. Ea præsertim, quæ irretractabilia. Fallaces mortalium præsumptiones! Vt terminabilis tandem æternitatis dies obtineatur, incertæ Typorum nocti occurrere incautum semper fuit. O quantùm ignorant Homines gloriæ cupidi quid illa sit, aut quemadmodum peten-

petenda. Multi inter atramentorum tenebras lucem quærunt, ſed pauci acquirunt. Non omnibus atramentis eiuſdem perfectio eſt ſandarachæ. Si nonnulla illuſtrant (quamuis pauca) naturalem accidit præter obſcuritatem. Auram ſtringendo, adimunt, non addunt, prælorum oppreſſiones. Typorum Dædalos ſequi eſt ſe vdarum fuliginum æquoribus immergere. Sed quoniam in fretis ſumus, TYPVM Dodonæo fonti non inconcinnè liceat mihi exæquare. Ille faces extinctas accendebat, accenſas extinguebat; hic quæ honoris ſplendore carebant Ingenia quandoque illuſtrat, quæ

vero


verò alicuius nominis fulgore enitebant, heu nimis plerunque obtenebrat. Ex abecedarijs scriniolis sua opera extraxisse bonam veterem famam in illis sepelijsse multis fuit. Ex Typographico marmore, tanquam ex silice, æternitatis scintillæ nonnullis eruperunt; alij verò illius maculis proprios errores signarunt. Planities tabellarum, in quibus digesta litterarum cohors ordinatur, ad gloriæ metam properanti sua quoque obijcit offendicula. Non omnes Pennæ in cubilibus prelorum quietem Scriptoribus sternunt. Cùm igitur nihil periculosius, quàm in lucem exire, inter exiguas mediocris existi

ma-

mationis tenebras meliùs talpam viuere, quàm famæ Solem moriendo experiri. Quot fuerunt, sunt, & erunt, quibus obstrepens Vtriculorum compositio futuros plausus præsagiuit? Quot verò, qui illorum duntaxat rumorum encomia obtinuere? Quid esse tot nigredines credis Typographias vndique obturpantes? Plerisque nominis exequijs funebres sunt apparatus; alijs verò propriarum Virtutum candoribus, quò magis elucescant, sunt contraria. Ex Torculis faciliùs pœnitudinis lacrymæ, quàm gloriæ succi exprimuntur. Solam proferat Eclogam Mantuanus, qui priùs pro Virgilio non agnoscebatur,

Magnæ ſpes altera Romæ, de ſe veridicè dici ſentiet. Aliquid in promptu habeat Mæuius, qui alicuius opinione pro docto exaltabatur, ridiculum Virgiliomaſtigis agnomen merebitur. Typus itaque Lydius Auctorum eſt lapis. Per illum, quis pro argento habebatur, & plumbum dignoſcitur; ac quis pro plumbo negligebatur, & argentum euadit. Qui igitur oricalchum eſt, licèt alieno conceptui aurum videatur, experientiæ ſe non exponat, & certus ſit, quòd


Opinio eſſe non mutat. Nec minus per eum poteſt quis tenebroſus euadere, quàm illuſtris.



Obtenebrat, & clarificat.

XXIX.


TIngit, & illuſtrat Typus. Albam pagina, fumus
Nigram Operi famam non ſemel eſſe notat.



Tem-

Tempore insanire sapere est.


XXX.



Seneca.

Nullum Ingenium magnum sine mixtura dementiæ fuit.

In-



Interdum ſeria nugæ.

M*Iſce ſtultitiam conſilijs breuem.*

Nimia Imperantis maieſtas exiſtimationi ſemper damnoſa extitit. In hoc liceat mihi ab illo diſcrepare. *Non continuus, ſed rarus conſpectus minùs verendos magnos homines facit.* Canobus, & Crater ſidera quæ rarò apparent, ac ſi non eſſent negliguntur. Fratres verò Lædæi, quorum quiſque per ſemeſtre effulget, non ſolùm meo huic *Nauarcho*, ſed toti etiam terræ mariq;

riq; venerabiles enitescunt. Hinc verum fit, quòd tantùm inter Magnatum terminos ab alieno seiunctus commercio viuens Princeps reuerentiam sibi à populis debitam periclitatur amittere. Qui enim ignotus viuit, etiamsi quandoq; in publicum prodeat, quòd ignotus sit, non magni æstimatur. Præterea non parùm de se, suisq; videtur dubitare, qui cum illis negotia in otia quandoq; non permutat. Duros Soliorum lapillos semper terere pedem lassat. Thronorum holosericum si incessanter prematur, suis, licèt sericis, acubus pungit. Continua Stratorum mollities durescit, & spinas parit, nisi

nisi curarum dumis quandoque expurgetur. Spiritûs interdum relaxationibus leuare, est ad sublimiores volatus eleuare. Perpetuæ oppressionis noster non indiget animus. Satis corporis opprimitur carceribus. Videmus frequenter ab illo exitum sibi augurari. Maior contentio, quæ particularem infestet naturam, est melancholia. Hæc porrò ex nimietate curarum solùm producitur. Sanguini, vt viuus conseruetur, necessarius est motus; Principi, vt incolumis sistat, de Solijs ad delicias moueri necesse est. *Nascitur ex assiduitate laborum animorum hæbetatio quædam, & languor*, quorum illa stupi-

dum, hic infirmum hominem reddit ad ea, quibus promptior deberet esse, & alacrior. Qui magnum fert pondus, vt labori diutiùs vigeat, se interdum recreare, ac ne sub illo spirare periclitetur, respirare oportet.

. . . . . *Vires instillat, alitque*
Tempestiua Quies.

Cor, & pulsus Politici corporis est Princeps. Illud suis fruitur pausis, iste suas habet diastoles. Quantùm igitur prosit animum si nũquam remissum, interdum saltem solutum habere testentur Septriferis hęc BACCHANALIA. Principes, qui interdum subliniores inter curas

Εἰλαπινάζουσι πίνουσί τε αἴθοπα οἶνον, non

non ſemper reprehenſiones mererentur.

Inſipiens eſto cùm tempus poſtulat, aut res.

Stultitiam ſimulare loco prudentia ſumma eſt.

Sol ipſe, qui in ſui regiminis æternus rotatur gyro, maiori indefatigatione interdum quoque eclipſis perſonam gerit. Sole igitur ipſo clarius eſt, quòd *Tempore* leues muſcarum venationes Regnantes non dedecent, dummodo tamen grauiorum curarum ſola ſint intermedia. Nec non abſoluendus eſt Rex Galliarum Carolus VI, ſi perſonâ vultum ſibi tegere ſe delectarit; dum hac ex re illi detegatur hæc veritas,

 Quod

Quod caret alterna requie durabile non est.




Tem-



Tempore inſanire ſapere eſt.

XXX.

NOn animum aſſiduis intende laboribus. Arcus,
In partes, ſemper qui iaculatur, abit.



Si captus capio.

XXXI.



Gruterus.

Nullas metuit insidias Virtus.



In ferro eſt libera Virtus.

Virtute nos victores viuere, non ambitione, neque perfidiâ, inquit Plautus. Quid igitur agis Liuor? Putaſne te extollendo, Virtutem iniurijs opprimere? Lacerare dentibus? Aſtutijs decipere? Quæ te cępit dementia? Cùm ſit immota, lapidem verberas. Hoc circum noli diu enucleare. Temeraria eſt cura. Illa ſi fraudibus caret, prudentiâ abundat; ſi ore non carpit, calamis ferit; ſi verbis non lædit, fa-

ctis

ctis vlciſcitur. Quare de illius victoria nulla ſpes remanet. Sed oh quoque vtinam Virtutis Sol aliquò modo eclipſi, vt nequit, poſſet ſubijci! Paruum licèt, aliquod tamen felicitatis lumen mundo ſupereſſet. E' portentoſa illius obtenebratione tui partim exterminij influxum præſagiret. At quoniam fallax eſt cupido, ab incępto deſiſtas. Et ſi tuæ malignitatis defectus id te exequi non patitur, propter amorem erga te tuum ſaltem deſiſte. Nimis potens eſt hoſtis. Licèt te innumeræ ſequantur phalanges, pauci illam milites, vnus ex ſuis magis præſtat, quàm mille ex tuis. Verùm eſto quod

ex se est impossibile. Euadis victor; Quid inde? Nonne es Liuor? Igitur es passio, quæ solùm opprimendæ Virtutis spe pasceris. Non ergo talis spes te potest enutrire, nisi se existenti Virtute enutriat. Igitur in quantùm esse habet Virtus, in tantùm & ipse. I nunc, tantam quære victoriam, o Strenue. Inimicam destrue. Admirabilis mehercle eris victor. Temet vinces, quod paucis datur. Hæc tua Virtutis opprimendæ cupiditas expressa ergo est stultitia. Proprium contemnit periculum; sana esse non potest. Quapropter aliò curas conuerte. In illam frustraneum omnem laborem iam argumentare.

Cæditur, & surgit vincens per vulnera Virtus.

Si vinciatur, fortior. E' ferro constantiam refert. Est LEO. Rigores exasperant, non mulcent. Meliùs ligatur precium laqueis, quàm compedum vinculis. Et si quandoq; his stringi patitur, id consultò efficit. Vult inter Catenarum strepitus magis suarum gloriæ virium resonent, dum vel capta capientem capit. Quantumuis, Liuor, sis VVLPES callida, parùm proderit. Si huic Leoni, quòd sit vinctus, insultare liberè ausus fueris, solo *ex vngue Leonem* experieris. Insidias quidem illi potes meditari, vt libertatem amittat, sed quia neque

Si fractus illabatur Orbis,
Impauidum ferient ruinæ,

nihil proficies. Imò illi pœnas machinando in te ſæuiorem concitabis. Sic præter conſcientiæ morſus, tibimet damna extrues. Inſidiarum catenis captiuum mortis faciat Tydeum Menalippi inuidia, aliena captiuitas ſibi nequaquam fiet libertas. Nihil huic proderit Vulpem eſſe, nam ille, inſtar Leonis, illius caput vorando, vel victus vincet. Liuor ergo tibi conſule, tua enim aduerſaria

Ipſa feras, homineſque domat, non horret inermis.



Si captus capio.

XXXI.

NON trepidat duras Virtus immota catenas.
Vincla sibi torques; hisque ligata ligat.



Gra-

Grauia ex modo leuia.


XXXII.



Seneca.

Facilè supplicium perpeti se supplicio liberare est.

Vi-



Victrix malorum patientia.

Durum, ſed leuius fit patientiâ
Quidquid corrigere eſt nefas.

Prudentiæ argumentum eſt in qualibet re patientiæ pondus ſufferre, cùm nihil oneroſum ſit, in quo hominis conſtantia magis non eluceſcat. Pericula ſuperare intrepidi, effugere Sapientis, ſagaciter verò tolerare, intrepidi ſimul, ac ſapientis eſt. In curarum ponderibus nemo fortiorem

rem ſupponit humerum quàm Prudentia. Pertinacitas in ferendo opprimit, modus in ſufferendo ſubleuat. Ratio creſcens leuat grauia, decreſcens grauat leuia. Negotiorum ruina prouenit, quòd omnes vel principium, vel finem tantùm, medij modum nemo conſiderat. Infirmus prout libenter recipit, dulcem reddit medicinarum amaritudinem. Prout manu bilanx regitur, grauiora, & leuiora reddit numiſmata. Princeps qui benè ponderatis conſilijs ſuccumbat, ſibi leuius regni pondus efficiet. Sceptri quamuis pacifici onus neſcienti gladium regere graue eſt. Sed qui in hoc tractando

mo-


modum habet, hunc & illud leue sibi reddit. Fortem esse damnosum homini fieret, nî sagacitas robori coniuncta illi damno repararet. Nisi isti BAIVLI industriè sibi pondus agilitarent, sub illo facilè disperirent. Scire ferre est scire sufferre. Si Matrimonium malè toleret coniugatus, tristitias, ac miserias; si benè, diuitias, ac delicias ab illo recipiet. Si Religiosus in Obedientiæ stimulum recalcitret, disperditur apostata; si rectè seruiat, parendo imperat. Scuticam derideat Discipulus, tantùm risibilitas illum à brutis distinguet; honoret, Virtute honorandum se reddet. Patientia Lydius lapis

est,

eſt, qui animi probat virilitatem. Anima noſtra, quæ, vt diuina, ex ſe impaſſibilis eſt, tunc magis in ſua relucet diuinitate, cùm ad paſſibilitatem ſe flectens ad impoſsibile accõmodatur. Domeſticas Vxoris iniurias pati ediſcat Socrates, blanditias ſibi illas reddet. Benè toleret Obediẽtiam Iulianus, Religioſę laurus glorię coronam ſentiet; malè, opprobrioſæ fulmina contumeliæ experietur. Platonis ferulam non ægrè ferat Stagirita, Diſcipulum ſupra Magiſtrum dari oſtendet. Sic ſatis Poetæ veritas innoteſcit,

. . . . *Leue ſit, quod bene fertur, onus.*


Gra-



Grauia ex modo leuia.

XXXII.

QVod benè fers, leue fit. Non ſtabit machina Mundi,
Nî bene ſit geminis æquilibrata Polis.



Medium tene.

XXXIII.



Horatius.

. . . . . . Frustra vitium vitaueris illud
Si te alio prauum detorseris.

Qui



Qui ſe detorquet, torquebitur.

I*Nter vtrumque tene. Medio tutiſsimus ibis.*

Quiſquis es, Homo, qui legis, hoc ſemper reminiſcere. Omne extremum vitioſum. Qui proprium intereſſe magis, quàm conſcientiam conſuluerit, hâc ſemitâ nunquam incedet. Iuuenem calor ad ſiniſtram voluptatum, vel ad dextràm rigorum impellat, ab vtraque ſecedat; Extremũ quippe nullum durabile.

Nec nimis ſperet Pauper, nec deſperet; vtrumque enim, cùm affectûs impetu producatur, ad maiores perducit ruinas. Priuatus Reipublicæ decreta nec nimis curet, nec nimis negligat. Obediat, ſic à tramite non aberrabit. Sit prodigus, aut tenax diues, ab vno damnoſam vtilitatem, ab alio famelicam referet famam. Liberalitatis viam perambulet, de neutro reprehendetur. Nimis inſulsè, aut nimis ſcrupulosè componat Scriptor, vel non legetur, vel deridebitur. Elaborato ſolùm vtatur ſtylo, hæc famæ vulnera non patietur. Benignitatem, aut rigorem excedat Princeps, nî rectæ clemen-

tiæ

tiæ medium obſeruet, aut inobſeruatus viuet, aut inuiſus. *Vnicuique conditioni mediocritas optima*. Regibus præſertim, quibus illud ſæpè arridet dictum, *Quà libet* (non quà licet) *Reges eant*. Callibus, quos illi perambulant, propriæ non deſunt foſſulæ. Ecquis plùs illis cautellæ indiget medio? Nec in priuatis quidem congreſſibus publicis priuantur calumnijs. Si parùm riſui os aperiunt, aut grauitatem ſuſtinent; mille ora ipſorum deriſioni recluduntur, cunctis graues fiunt. Si è Regijs tempore exeunt opportuno, aut celati imperant; in mille importunitatum incidunt miſerias, Cœlum cla-


moribus resonat. Tandem si merentibus vel non modicè, vel parùm donant; in vtroq; immodicè ab immerentibus damnantur. O miseros Principes, quibus vel medium tenere vix reprehensionibus est immune! Si vestrorum operationum gressibus illud pro scopo semper est præfigendum, quid reliquis hominum, qui à vestrorum pedum ductu reguntur? Quid Aulicis, qui aut adulantur, aut lacerant? Quid Mercatoribus, qui inter mensurarum terminos à termino, prout suaserit vtilitas, aberrant? Quid Gemmarijs, qui christalla pro gẽmis (si id faciũt) interdum vendendo, gemitus su-
sci-

ſcitant? Quid Numularijs, qui vſurariè nummos alterando, Numina ſibi aſſiduè irritant? Quid cæteris Artificum generibus, quorum alij fraudolenter bilances librando, ſibimet fraudes librant? alij modios diminuendo, culpas ſibi augent? alij merces falſificando, verũ alijs damnum, & ſibi ignominiam afferunt? omnes denique, huius BVBVLCI inſtar, deſiderij Currum ad Auaritiæ latus vertentes, à medio æquitatis declinant? Hi tamen plerunque Mundum edocent, quòd medium negligere, eſt præcipitia diligere. In quacunque re qui vult tutò incedere, rectam viam Iuſtitiæ, & Verita-

tis ibit, non obliquam fraudis. Nec vulgaria in ipsis Magnatibus probant exempla, quòd contempto medio in Thronis sedere, illorum latera tantùm premēdo, est lapsus sibi perquirere, vbi è contrà in medio sistere, est sibi in ipsa morte gloriam stabilire. Militaris Medium iustitiæ (pro vt patitur Militia) Magnus teneat Alexander, iniusto in veneno mortem bibet immortalem. Obliquum impietatis tramitem maior calcet Alius, venenatis poculis aliorum morti paratis portentosè sibi, ac Nepotibus mortem parabit. Ergo

Quisquis medium defugit iter
Stabili nunquam tramite currit.


Me-



Medium tene.

XXXIII.

INiuſtum, Iuſtumque inter ſtat terminus Æqui.
It benè qui hoc ſumit; qui illud, in ima ruit.



Speciosa foris.

XXXIIII.



Iuuenalis.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

In-



Intus ab oppoſito.

P*Ietatis fictio non pietas eſt, ſed geminatæ impietatis veritas*. O execrandam hypocriſim, o maledictos Hypocritas! Ante aras in Deum peccare, vt Homo vos excolat; flagitiorum teſtem, vt flagitia tegatis, qui vos iudicaturus, inuocare; vt alij cruces ferant, cruces facere; vt Mundum fallatis, Cœlum deridere; ſcelerum inſtrumentum, ne alij vos noſcant, qui totum noſcit, Deum facere; o fallaces fictæ Re-

ligionis pręſumptiones! Qui publicè Pſeudosāctos facitis Theognidem vos increpātem audite.

Εὖερδων εὖ πρᾶττε. Τί κ᾽ ἄγγελον ἄλλον ἰαλλεις?

Quid agitis miſeri? Odit vos Mundus, quòd pios credat; odit vos Deus, quòd impios ſciat; atque ita vtrique odioſi, in neutro vobis præſidium eſt. Nonne Diabolicam noſcitis Theologiam prouidentiæ titulo auaritiam tegere; conſtantiæ nomine importunitatem velare; tædium feruorem appellare; impurum amorem puram charitatem vociferare; ac ipſam Hypocriſim Sanctimoniam nuncupare? Veſtra, Nefandi, impietas maiorem declarat

rat diuinæ Clementiæ pietatem, quæ otiosa teneat fulmina. Sed profectò in vestris pęnis suprema otiatur æquitas, quòd fulminum supplicijs vestra non cedat conscientia, *Nihil enim est miserius, quàm animus hominis conscius*. Fictam Istorum MENDICITATEM æquatis, qui ipsas paupertatis pœnas in proprium lucrum sibi conuertunt. Sed quid lucrum extenuatam cogi vitam degere, plagas sibi facere, membra extorquere, vno verbo, Zopyri talento, incommoda sibi commoda mercari? Quid, inquam, lucri esse potest, vbi Anima detrimentum patiatur? Inspicite, amentes, Valentinianum,

num, ac Theodoſium Iuliani Hypocriſi aduerſantes ad Regnum elatos, ipſiuſque ſimul Apoſtatæ finem recordemini. Caduca ſunt quæ fictæ rectitudinis fuco poſſidentur. Benè igitur Poeta

Fallitur augurio ſpes mala ſæpè
ſuo.



Spe-



Speciosa foris.

XXXIIII.

QVàm benè transuersum de te sonat illud, Egene!
,, Si qua mihi est probitas, improba vita mihi est.



Ver-

Verti ad meliora Virtus.

XXXV.



Cicero.

Cuiusuis est hominis errare, nullius, nisi insipientis, perseuerare in errore.



Cedendum tempori.

NOn est turpe cum re mutare consilium. Diuina quidem res est immutabilitas. At soli conuenit Deo, quia in sua perfectione perfectissimus in melius tendere non potest, nisi in se ipsum, qui omnium bonorum est melius. Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ μόνον θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν. Sed Mortalis, qui tot imperfectionibus repletur, si ad diuinitatem, prout sua permittit imbecillitas, optet accedere, in melius

mu-

mutari debet. Semper in eodem cōſiſtere propoſito, licèt bono, ſi melius reperiatur, laudandum non eſt. Potiùs obſtinatio, quàm ſapientia debet nuncupari. Animus noſter actionum motor, vt angelicus, ad melius ſemper, & ex conſequenti ad mutationem nos conſtringit. Si igitur vnuſquiſq; tenetur in melius flectere, certum eſt, quòd per alterius conſilium id faciliùs efficiet. Manibus à tergo vinctis per tenebras vitæ incedet, qui conſilij lumen, ac illius mutationis laternam contempſerit. Magnus erit lapſus, cùm non parua fuerit pręſumptio. Ex terra, fateor, ſtabiliori elemēto, omnipotenti à Fi-

gulo compactus fuit Mortalis, vt firmus persisteret, sed in optimo tantùm. At cùm id pro hoc statu non detur, ideò per mutationem in melius ad illud, quantùm potest, tenetur appropinquare. Et quòd verum sit, aliorum quoque elementorum mixtis coagulauit, quorum cùm alia liquida, leuia sint alia, ad mobilitatem, & ad lubricitatem in melius propellunt. Attamen multos habet Mundus in sua opinione adeò peruicaces, vt malint ignorare, quàm discere, *Quamuis sciant non esse crimen ignorare, sed nolle ex consilijs ediscere*. Subueniat obstinatis vitam hanc AREAM esse, homines GRA-

NA. Vt lolium, puluis, ac auena obliquarum cogitationum ab illis faciliùs separentur, ad cōsilij AVRAM iactare oportet. Humana præsumptio, quæ in suis iudicijs cęca sensim incedit, in se ipsa (infandum!) ipsos defectus censet perfectiones. Nî rectæ admonitionis ducem sequatur, facillimè decidet. Pauci sunt, imò nullus, qui suarum passionum partubus non indulgeat. Affectuum nutrimenta, quæ illis præbentur, breui ad Gigantis mensuram sinunt crescere. Nî zeli igne corrigātur, superbiunt, ac cœli ignes prouocant. Non sine iudicio Diogenes, cùm alio, quem consuleret, priuaretur, lucer-

cernam conſuluit. Sit quantumlibet ſapiens Empedocles, ſi ſub montis vertice conſilio carens viuet, ſemet præcipitabit. Ediſcant Regnãtes, quòd in ſummis licèt altitudinum montibus collocentur, ſi ſuis tantùm opinionibus innixi, ſententias non mutando, Conſiliarios deſpexerint, cùm magis ſe tutos credent, profundiùs deijcientur. O quot pręcipitia euitare potuiſſet Xerſes, ſi Proceribus congregatis irrationalem hanc orationem ſæpiùs non replicaſſet. *Ne viderer meo tantummodo vſus iudicio, vos contraxi. Cæterùm mementote parendum magis vobis eſſe, quàm ſuadendum.* Quantò meliùs Leo-


tychi-

tychilas, qui à quibuſdam inconſtantiæ reprehenſus, Mutor, inquit, ſed pro temporum ratione, non vt vos;

Prudentis enim eſt pro re nata mutare conſilium.




Verti



Verti ad meliora Virtus.

XXXV.

OMnia mutantur, tu non mutabere? Tantùm
Ad ſe mutandum naſcitur omnis Homo.



Vt nutritur.


XXXVI.



Palingenius.

. . . , *Naturà est cultura potentior ipsà.*

Vti



Vti insita.

Generis illustrat decus
Quisquis celebribus dignus
est natalibus.

At his dignus nemo esse potest, nî bona morum disciplina subsequatur. Non fortis censendus est qui ex forti nascitur, sed qui fortiter operatur. Neque sic se geret quem fortis educatio talem non reddiderit. Non satis est, vt quis clarus bonusq; sit, αἵματος εἶναι ἀγαθοῖο. Quales sumus, fimus, non nascimur. Quòd benè

pullulat,triticũ,non bonæ meſſis certitudinem præſtat. Nî Agricolæ manu corrigatur, vacuas ariſtas extollet. Cerea congeries noſter eſt animus. Et boni, & mali imaginem in ſe recipit. Cùm verò recepit,æreum fit numiſma. Si bono ſignabitur, Virtutis effigiem; ſi malo, Vitij ſimulacrum oſtendet. Operæ ergo pretium eſt donec cereus molleſcit animus, rectè ſignare; nam æreus factus,ſi vitioſæ Gorgonis rictu impreſſus fuerit, de difficili doctæ Palladis imaginem reſumet.

Dum tener eſt gnatus, generoſos imbue mores.

Equus,qui paſtomidem nũquam ſenſit,

ſenſit, non niſi effrænatus eſſe poteſt. Aſellus, qui inceſſanti laſſatur labore, aliud curat, quàm calcitrare. *Id ſapit vnuſquiſque quod didicit*, ait Cordubenſis. In ijs quoque rebus, ex quibus damnum percipimus à conſueto, vel volentes, vix poſſumus declinare. Id Septentrionales teſtantur Anſeres, qui per Taurum Montem tranſeuntes, nè Aquilas illic commorantes ſibi inimicas experge faciant, licèt prouidè ſaxulo aditum gratitando occludant, aſsiduo tamen obſtrependi habitu iam in naturam conuerſo, incautè illud dimittentes, proprijs vocibus hoſtiles illarum vngues, ac roſtra euocando, iam

trepidatas ſibi ſtrages prænunciant. ARBOR hæc, Artis ſtudio, à dextra bonos, à ſiniſtra malos, omnes inter ſe contrarios, ac ſuæ etiam naturæ aduerſantes parit fructus. Si tam impropriæ fœcunditatis cauſam quæras, quòd primis ab annis ſic inſita fuerit reperies. Si bona, bonos fructus; ſi mala, malos emittit. Pro mille ſit tibi exemplis ſolus Agrippinæ filius, qui dum Bononienſiũ Philoſophorum dogmata libenter auſcultauit, vniuerſo Orbi, nedum Vrbi, Magni Principis ſpem optimam præſtitit, Felſinæ incendia, orationibus apud Cæſarem habitis, reparando. Cùm verò Romanorum
illius


illius temporis adulatorum malignitati ſuam non omninò adhuc ſolidatam indolem commiſit, Romani incendij maxima indicia prænuntijs ſcelerum ardoribus præmiſit.

Conſuetus vitio quiſquis iuuenilibus annis,
Crimina non ſenio linquere poſſe reor.

Hinc diſce.

Diſciplina Virtutis magiſtra.






Vt nutritur.

XXXVI.

QVisquis alis pueros, proprium illis obtege crimen.
In Iuuene eſt vitium, ſit ſcelus inque Viro.



Bo-

Bonum tandiù bonum eſt, quandiù facimus.


XXXVII.



Catzius.

. . . . *Tu quà iuuat arripe quidquid*
Te ſuper æthereą de regione fluit.

Vt



Vt sumitur Omen.

R*Es naturâ suâ optimas solo abusu malas fieri vsus docet.* Nihil tam acerbum est, quod irretorto mentis intuitu lætum reddere nequeamus. At nos quę credimus, non quæ sunt, tristia nuncupamus. Tandiù damnosa creditur medicina, quandiù amara est palato; disciplina aspera, quandiù odio est rigor; ac perniciosa ipsa Dei flagella, quãdiù flagitia cogunt deponere. Verùm si res funditus penetre-

tur, manu palpabitur, quòd *Sola opinione magis, quàm re laboramus.* Inſpicietur quippe, quòd punitionibus populi corriguntur, ferulâ diſcipuli erudiuntur, cicorijſq; languentes ſanantur. Prauitatis argumentum! Formidine tantùm viuimus. Quidquid hinnuleos terret, cùm nos vulpes ſciamus, illis intimiùs perhorreſcimus. Vel ex bonis mali omina auſpicamur; Sic Auctoris dictum verificamus,

Qui vanos pauet metus, veros fatetur.

Echinnis ſimiles ſemper timorum ſpinis inuoluimur, quòd ipſi aſsiduè illas parimus. Quid VIATORI, ſi CORNIX dex-

trorſum, vel ſiniſtrorſum crocitet? Anne vno, aut alio in loco naturam permutauerit? Et quæ priùs iter felix expedire iubebat, mox retrocedere admonebit? O inſaniam! Conſcientiæ timores hos excitant metus. Quia ſemper ad ſiniſtram mali, & raiò ad dexteram boni tendere nos ſcimus, ideò à ſiniſtra nobis damnum crebrò ominamur; licèt nullo alio fulciatur fundamento, quàm prauis humanę naturæ inclinationibus, quæ ad ſiniſtros ſemper nos impellunt conceptus. Mentis ſunt effectus febricitantis. Cùm enim cogitationum ſanguinem culpis infectum hæc habeat, vana ſuſpicionum

ſomnia, vt plurimum ſibi fingit. Vnde Pelignus,

Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro fato, ſpemque, metumque ſuo.


Expurgatis vtatur pictor tabulis, hæ vel turpes colores pulcros reddent; ſordidis, vel pulcros turpes efficient. Qui rectè ſibi ſentit, nec tigres trepidat rabioſas; Qui praue, vel muſcas metuit præteruolitantes. *Quidquid mali bonis accidit, ſuam conſulant rectitudinem, in bonum vertent.* Iuſtitiæ compos progrediatur Auguſtus, in terram prolapſus, *Teneo*, dicet, *te Terra mater*; & caſum in felix victoriæ auſpi-

cium

cium conuertet. In expiandis Otho Galbę manibus, prauâ magis mente, quàm tempestate perterritus, decidat, frustranei omen piaculi eliciet. *Nihil tam acerbum est, in quo æquus animus solatium non inueniat. Conscientia mille testes.* Caue.




Bo-



Bonum tandiù bonum eſt, quandiù facimus.

XXXVII.


SOla vacillantem moderatur opinio Mundum.
Vel mala ſi placeant, optima ſemper erunt.



Prout

Prout aura.

XXXVIII.



Seneca.

Omnes res laudantur, atque appetuntur; prout earum rerum vsus est.

Ver-



Vertitur ad ventum fumus.

M*Ala cõſuetudo vetuſtas erroris eſt*. Dij boni, quid hoc miſeriæ, vel, vt veriùs dicam, ſtultitiæ ſe diffudit? Hodie neceſſe eſt velle quod etiam nolis; quod enim vſus exigit non omnibus poteſt deſiderijs accommodari, & tamen accommodetur neceſſe eſt. Maledicta communis illa excuſatio, *Sic mos iubet*, ſupra arbitrium tyrannidem exercet. Haud ampliùs in

agen-

agendo iudicatur an hoc honestum, an illud turpe. Dummodò vſus ſic iubeat, facta lex eſt: Stat pro ratione conſuetudo. Hæc Aſtrææ arma abſtulit. Rectum viuere eſt vſui viuere. Iſte porrò abuſus ex hoc tantùm prouenit, quòd *non ſecundùm rationem, ſed ſecundùm exemplar viuimus*. Rerum conſuetudo nunc rebus dat eſſe. Aliquid vel damnoſum appareat, vel vtile, dum pro tali vſu approbetur, licèt per ſe tale non ſit, fiet. Inſaniam audi non minorem. Indumenta ipſa, quæ ad noſtram incolumitatem aduerſus temporum intemperiem tradita ſunt, ad ipſius temperamenti incommoda

moda adhibentur. Victus, qui vt naturam ſuſtentet, non vt genium ſecundet, apponitur, niſi ſecundùm vſum condiatur, & comedatur, pro vili reſpuitur. Commercium, quod ad animi conceditur hilaritatem, niſi immodeſtè, vt mos eſt, exerceatur, moroſum eſt. Quid hæc non inficit peſtis? Vitio ipſi Virtutis imaginem præſtat. Hodie pro Platonico Amor non habetur, qui purus; pro iuſto fœnus, quod licitum; pro ſubtili Iuriſta, qui pro iniuſto rudis eſt Mineruæ. Quid plura? Veridicus non eſt ille Hiſtoricus, qui non amplificat; perſpicax ille Theoſophus, qui dubias in campum quæſtio-

nes non profert; illectus ille Scriptor, qui, puncturis omissis, non ferit; Si causam petas; *Sic mos iubet*, respondetur. Ad summum consuetudo est Circe in mundani æquoris viuens littore. Quò plùs delectat, magis exhumanat. Qui ratione illuminatus ab illius veneficijs procul non nauigat, facilè decipitur. Sed quid Circe? Hoc in Oceano est VENTVS; FAX, Phariæ similis, Homo; illius FVMVS, Genius. Illa hunc semper ad illius flatum vertit; At si cauta non est, extinguitur. Modi expers est ille. Quare si hic non regatur, & ipsa in fumum plerumque abit. Caueant igitur ij, qui inuiolabiles
con-

cõſuetudinum obſeruatores nouitates ſæpè ſpeculantur. Caueant, inquam, ne ſibi, id quod Alphonſo Neapolitanæ Regionis Dominatori, eueniat. Ipſe quoque ſplendidiſſimus, ne vllam ſui ſæculi nouitatem prætermitteret, ad hoc redactus eſt, vt, quòd nimis Genio ſatisfecerit, tandem vnde Creditoribus ſatiſfaceret non habuerit. Ex quo id documentum poteſt deduci, quòd Qui ſuæ paupertatis ream Conſuetudinem accuſat, propriam dementiam patefacit. Attamen his diebus hæc tantùm praxis probatur, quibus

. . . . . . *Naturam protulit vſus,*

Ip-

Ipſaque non multò eſt natura potentior vſu;

licèt quotidie exclamet Cordubenſis

Deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia mores ſunt

O calamitates, o tempora, o Mores!



Prout



Prout aura.

XXXVIII.

CVr Vsûs ventum ſectamur, Mo-
ris & auram?
ſe ventum atq; auram quiſquis vt eſ-
ſe notet.



Or-

Ornando præcipitat.

XXXIX.



Iulius Valerianus Bonomius.

Quia magnæ Regum, ac Principum sunt A-micitiæ, maximas minitantur ruinas.

Pul-



Pulcra vt plurimùm nocua.

PRincipibus placuisse Viris non vltima laus est.

Ingentes sunt Arbores, quarum vmbra hoc habet, vt omnes ad sui receptaculum alliciat. Sed non omnes æqualiter recreat. Nec iure quidem immerito. Lentè humilia crescunt Virgulta altitudini Cupressorum subiecta. Humanæ ambitionis ardor sub illa crescit. In sua magnitudine Fraxini sunt Imperantes

(quamuis crebrò venena non posſint auertere) ex quibus haſtę quidem componuntur, ſed non quæ ſalubriter ſanent, poſtquam gloriosè vulnerarunt. Væ illi, qui ſub illis ſe recipiēdo tutum ſe credit. Nucis frondoſæ inſtar ſe extollunt Magnates. Qui ſub illis dulcè ſperat dormire, toto corpore laſſus diſcedit. Principum Plantis Sol eſt ſuus Genius, vmbra voluntas. In ſuæ protectionis Oriente, fauſtas dilatant vmbras; in Occidente, damnoſas protrahunt. Qui minùs infeliciter ſub illis vult degere, mentis ventos, quibus agitantur, neceſſe eſt ſecundet. Quò opinionum ramos flectunt, ſe flectere; quò

ver-

vertunt, se vertere. Sed quæ securitas haberi potest, mi Homo, sub Arbore, quæ pluribus ventorum flatibus, ac temporum vicibus subijcitur? Hanc propriæ ambitionis Auster quassat; alienę inuidiæ Notus huc illuc impellit; proditionis Africus tuæ spei folijs expoliat. In hac insidiarum imbribus affectûs radices marcescunt; Malignitatis grandine, beneuolentiæ germina eripiuntur; Politicæ rationis fulminibus fortiores dilectionis rami euelluntur. Inquietam quietem! Si porrò fructûs cupido te inuaserit, aut acerbum cum verme, aut putridum delapsum, aut non omninò maturum obtinebis; Semper

verò tui periculo, per longæ ſeruitutis truncos reptando. Nec metuum meta hæc eſt. Omnium maximus timor accedit. Semper trepidandum, ne tot effracta varietatibus in tuas decidat ruinas. Princeps quippe vt refugij Planta, eſt obſeruandus; vt altitudinis arbor, verendus; vt ſtipes imperij ramos extendens, timendus. In vanis huius HEDERAE (Magnatum imaginis) amplexibus ruentem effuge PARIETEM. Fauorabilis Regnantium Hedera quò ſinceriùs ſtringit, eò damnoſiùs (æmulationis culpâ) præcipitat. Nec ſolùm Lyſimachus è ramo Macedonis gratiæ prolapſus; ſed & Seianus,
qui

qui è fauorum Tiberij arboris culmine deiectus, Tiberina suis, suorumque lacrymis adauxit flumina, edocebit, quòd, heu nimis, inter lucidas Diademmatum vmbras vel quoque nigrantes horrores mortis vagantur. Hinc cautus Vatis præceptum audi, & simul obedi.

Viue tibi, & longè nomina magna fuge.






Ornando præcipitat.

XXXIX.

VMbra ſubinſequitur nigrans quoque clarius Oſtrum.
Nè, hôc, ſperes fumos clarificare tuos.



Quà vincit, non quà vincitur.

X L.



Iſagoras.

Amicitiam probat Potentia.

Ma-



Maiori periculo ſuccurrendum.

M*Ortalium caſus Fortunæ rotat.*
Hodie Tiberius in ſolio, cras in flumine. FORTVNAE qui credit, mulieri credit. Fœminæ inſtar, modò vni, modò alteri amantiũ fauet. Cùm ex numero fueris, vi quadam frui ſapias. Vt ſit immota pugnandum eſt. Amicorum cateruis vtendum. Illi, vel ſi ceſſeris, animum pacando, victorem te reddent. POTEN-

TES insequitur, vt vincat; SAPIENTES fugit, ne vincatur. Hi verò æquæ compotes mentis nullo alio indigent Amico. Ægide Palladis defensi, Sortem cogunt lapidescere, & sic immotam stare. Penes eos tota est, qui totas illius vires (COMAM stringendo) comprehenderunt. Cum his Amicus si verus sit agnosci non potest. Si qui sunt, nunquam sibi dimicandum sciunt. Potentes innumeris muniuntur, at omnibus fraudolentis. Donec dubius in campo Mars est, cuncti pugnare volunt. Si parua victoriæ spes supersit, terga vertunt. His totus penè Orbis inficitur. Faciliùs autem, meo iudicio


cio, Amici, qui velint in duris decertare, apud Sapientes, quàm apud Potentes reperiuntur. Illi enim, qui ſuapte natura adiuuante iam vincere ſueti ſunt, pauciſſimis conſolantium verbis euincent. At hi, qui animi carentes bonis, diuitias tantùm amiſſas deplorant, nî factis iterum locupletentur, Solantium verba oderunt. Hi veræ Amicitiæ indices eſſe poſſent; at nullum eſt aurum, quòd probetur. Cum illis quodcunq; plumbum aurum videri poteſt. Omnia naufragio amittat Zeno, Fortuna, dicet, me iubet expeditiùs philoſophari. Exercitu, ac bonis priuetur Marius, Præneſtina in vrbe nullam

ſolatio, niſi morte, inueniet viam. Cum his ſcutum induere Amicos oportet. Quò difficiliùs vincitur, eò glorioſiùs triumphatur. Nec in damnum tibi redundare, Amice, cogites. Fortior fies; ſicque, cùm tempeſtas exegerit, & ipſe vinces; quandoquidem


Fortuna fortes metuit, ignauos premit.

Præterea ſic quoq; firmum illius dictum non labili tuo honore confirmabis,

Amicus fidelis protectio fortis.



Quà



Quà vincit, non quà vincitur.

XL.

SOrs Hominum varia est. Hinc contremit, inde timetur.
Quà vincit, non quà vincitur hostis eas.



In re modus.


XLI.



Boetius.

Optimus est in omnibus rebus modus, laudabilisq; mensura.

Vio-



Violentiâ inuertitur ordo.

C*Vm Minerua manum quoque moue*, Antiquorum adagium est. Sapientis nunquam fuit in quauis re vti violentiâ. Necesse est agenti, vt in actionibus Modum adhibeat, ipsas consilijs præcedere. In illarum enim feruore penes ingenium non est se recreare. Et si id faciat, vitiatur operatio, cùm non meliùs suum sortiatur effectum, quàm cùm feruoris, & iudicij fauore adiuuatur

tur. Donec igitur tepet calor, animum ad consilia conuoca, ne nimio accensus, confusè operetur; tunc quippe consilium in ipso non supponitur. Violenti motus si non semper destruunt, semper debilitant. Qui arcus vltra terminum ab Artifice prescriptum excedit, quò dirigitur damnum non affert, sed damnum effert. Qui nimis furiosè ensis tractatur, non defendit, sed offensionē facilē reddit. Sine modo frustranea est omnis regula, si modò regula dici potest, quæ modo caret. Rectè operari est ipse operandi modus. Malè operari non est operari, sed potiùs non operari, nam operantis op-

pro-

probrio operationem destruit. Operatio verò ratione recta homines ab hominibus, nedum à brutis, distinguit; sapit enim diuinitatem. Regulatim igitur non operari, est peiorem brutis se reddere, cùm in illorum actionibus naturalis tantùm impulsus modi vicem gerat, & ideò de ratione rationem reddere non tenentur. Quæ nimis vehementer ad actum reducitur potentia, & actum confundit, & se infirmat. Tentare vltra vires, est nihil tentare, dum impossibile tentatur. Velle absque laboris modo virtutem augere, est idem ac si vnda, quæ grauis est, velit ignem leuitate vincere. Dum ad Diui-

næ mentis arcana ſe extollere, intellectûs infirmitate, audet mortalis, idem eſt, ac ſi pigra teſtudo cum velociſſimo lepore velit curſu decertare. Si abſque rectis operibus (licèt horum modus ſit non modus) ad æternitatis portum peruenire humana ſperet præſumptio, idem eſt ac ſi cum aquila agilitate bos velit contendere. O mortalem dementiam! Scias quiſquis es, quòd audacia clauibus Cœli vndique priuatur; quòd immortalitatis ſemita ſpinis cooperitur; & quòd tandem *Qui te creauit ſine te, ſaluare te non vult ſine te*. Quæ omnia vt aſſequaris, condecenti modo vti oportet. Ita eſt. Modum in omnibus

nibus ſerua, & quæcunque aſpera tibi occurrent, tenera experieris. Illius CLAVEM in Imperij petitione benè voluat Tarquinius Priſcus, quamuis non Romanus, nec Regali è prole oriundus, oſtia Senatorum cordium aperiet, vt ad Regnum introducatur. Nimis violenter illam rotet Tarquinius Superbus, Regio licèt ſanguini coniunctus, Senatorum conciuis, incluſus excludetur. Ergo

Sit modus in rebus, ſint recti denique fines;

quandoquidem

. . . . . . *Modus optima regula rerum.*

In



In re modus.

XLI.

VT referes, Clauim moderatè e-
uoluere fas est.
Vi mota in motu nam mage firma
manet.



Per-



Permoue, flabit.


XLII.



Philo.

Detrahentem auuersatur vir bonus.

Fol-



Folles Linguarum Aures.

Alium ſilere cùm voles, priùs ſile.

Humanum genus eſt auidum nimis auricularum.

Moroſos maledicentium mores aſſiduò quiſque hominum conqueritur, cùm tamen nemo ferè ſit, qui iam in vſum eos non conuerterit. Aures, quæ illis faciles præbentur, faciles euocant ſermones. Quod faſtidimus ſectamur. Moleſtiæ auctores nobis ſu-

ſumus. Quiſque igitur Mortalium in hoc ſibimet calamitatum miniſter, propriæ culpæ miſereatur, lacrymoſâ illâ Sulmonenſis exclamatione,


Heu patior telis vulnera facta meis!

Ventum FLABRO nè inſpires, ventum non ſpirabit. Eſcam flammis eripias, eſcam voraces non rapient. Eorum ludibrium ſimus, quos illudere neſcimus. Si non deſunt Auditores, neque Detractores. Alienis inſurgunt vitijs clam inſultantes, vt propria palam contegant. Quid credis, Imprudens, qui auſcultando illos foues? Ignoſcant tuis? Si Ariſtide inſontior viueres, non euaderes.

deres. Quod de alijs tecum, cum alijs de te dicunt. Nunquam desistunt genuino mordere. Cùm eos libenter audias, spontè sinu serpentem foues. Cum illis aut taceas, aut loquēdo suam ipsis perfidiam patefacias. Nihil demens Mortalium turba tam odimus, quàm vt errores nostri nobis reuellentur. Ita si feceris, aut in arena semen infructuosum iactare, aut saltem in damnosas sibi messes emergere cognoscent. Tunc vel omninò obmutescent, vel opprobriosam parciùs linguam enodabunt. Cùm te ex Auscultantium numero exemeris, minorem illis criminum occasionem præsta-

bis, & te ab execrabili eorum garrulitate exſolues. Exemplum Pinarij ſequere. Hic interrogatus à Seruilio (qui contrà eum orare volebat) num ſibi, vt cæteris, maledixiſſet, reſpondit. Vt ſementem feceris, ita & metes. Quod cùm audiſſet Seruilius, & ſe maledicendo, malè auditum iri penetraſſet, ab incępta penè oratione deſtituit. Aduerſarium Maledicentibus animum oſtendas, obmuteſcent; *Immodicus enim dicendi modus non penes loquentem, ſed penes audientem eſt; ac Detrectatio, vt percunctando excitatur, ſic auſcultando nutritur.*


Per-



Permoue, flabit.

XLII.

DVm mala lingua crepat, pro-
priam tu comprime. Noſces
Frænatam linguæ conticuiſse tuæ.



Ab externo fulgore ſuſpice.

XLIII.



Cicero.

Habet adulatio principia iucundiſſima; eadem exitus amariſſimos habet.

Pri-



Prudens qui apparentijs non credit.

IN *omnibus ferè habet venenum ſuum blanda oratio*. O pietas! Quò ſeculi peruênit impia falſitas! Hodie de quo minùs ſuſpicimus, magis eſt ſuſpiciendum. Nuſquam tuta fides. Riſus lacrymarum eſt filius. Floreſcenti in quouis diſcurſu

. . . . . *latet anguis in herba*.

Tunc magis malè dicitur, cùm benè dicitur. Vituperio laus ſeruit. Id veritatis teſtatur Magi-

ſter Redemptor. Vnius commendationis gloria initium fuit opprobrij. Dicere, *Facit ſigna magna in populo*, fuit ad Crucem expoſcere. Quiſq; plauſus ex oculi intuitu prouenięns legitima cordis non eſt proles. Diſtantia, quæ cor inter, & arcum cilij intercipitur, illud huius fundamentum non præſupponit. Aliquando (hei mihi!) hoc pro triumphali Amoris arcu habetur, & Odij ſagittis inſeruit. Totus fictio eſt Mundus. Adulatio ferculum eſt omnibus palatis apparenter ſuaue, at eſſentialiter viroſum. Serenitati vultus credere, eſt lacrymarum imbribus ſe exponere. Diſce hinc, Mortalis,

men-

mendacij Notum iam noſcere. Faciei iucunditas mœrores faciliùs producit. Fel hominis non niſi delicatos propè artus conſiſtit. Interdum qui honoris videntur feruores, vindictæ ſunt furores; Quæ fumi oblationes, famæ ablationes; quæ humanitatis obſequia, feritatis exequiæ. Quid plura? Quæ ſortis deprecationes, mortis imprecationes. *Nullæ ſunt damnoſiores inſidiæ, quam hæ, quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palam eſt aduerſarius, facilè cauendo vitare potes. Troianus equus ideò fefellit, quia formam Mineruæ mentitus eſt.* Vulpe ipſa callidior fuit

qui adagium, *Cum Vulpe habens commercium, dolos caue*, inuênit. Infelix Orbis, insidiatorum fictionibus credendo, tibimet insidiator! *Nemini fidas, nisi cum quo priùs modium salis absumpseris*. Est valdè sibi amicum esse eum odio habere,

. . . . . qui semper, & omni
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum.

Putasne illas (exempli normâ) in epistolis superlatiuas manûs subscriptiones munus mentis agere? Falleris. Quò melioris sunt atramenti, eò minorem indicant candorem animi. Pennæ leuitas, è qua proueniunt, nihil subsistentis habere monstrãt.

Pa-


Pagina, quæ mille modis plicatur, eas denotat millenis inuolui tegminibus. Characterum ambages labyrinthos præmonent continere. Nî caueris, illaqueabere. Perfidiæ Minotaurus ibi abſconditur. Et, quod peius eſt, non tam facilè Ariadnes reperiuntur. Potiùs ſanè Fl. Fimbriæ inuenientur, quæ innocentium Flaccorum vitæ recidant fila. Maxima igitur eſt humanitatis miſeria, ſi non modò auxiliantibus caret, ſed nocentibus abundat, & nocentibus, qui quò ſuauiores adhibent formas, eò damnoſiores producunt effectus. Quot legimus, qui inimicorum inſidijs inter DAPVM mollities

VIPEREOS rigores comperiere? Testemini vos, Macedo, Luculle, Claudi, Diocletiane, ac innumeri alij, aureæ quorum in Mensis nitentes Patinæ postquam pro vrnis, è quibus funestam vobis sortem hostilis eliceret manus, deseruiere, in sepulcra se transformarunt. Quid quęris, mi Homo? Quæ magis sunt vitalia mortalia sæpè facta sunt. Neronis Cossinum, ac Conradum Imperatorem consule. Ex illis scies Catapotia eadem auro inuoluta in mortis ferrum posse transuerti. Adeò verùm est Saccharum quoque toxicum occulere. His temporibus si alicubi securitas, nullibi incolumitas.

Qui

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cùm etiam cauet.






Ab externo fulgore ſuſpice.

XLIII.

CRebrò atra forma intùs, ſemper quæ extrà emicat. Aureæ
Sępe nitore tegunt nigra venena Da-pes.



Turpis ex fletu risus.

XLIIII.



Daniel.

Malo alieno gaudere malum pessimum.

Ouan-



Ouando malis parantur mala.

O *Infandos quorum voluptas est alienus dolor!* Alienis luctibus gaudere, ac gaudijs lugere ſcelus ſcelerum eſt. Ipſorum quoque Crocodilorum crudelitas, eorum, quos occidit, lacrymis nequit non collacrymari. Eâdem cretâ à diuino omnes Figulo coagulati. Inuicem ijſdem affectibus ſignandi quoque eſſemus. Aliorum lacrymis molles reddi deberemus; at malignitatis antipariſtaſi magis induramur.

Imò

Imò Proximi ruinis gaudio exardenti illas exſiccamus. Quid tot nobis proſunt traditæ à Deo potentiæ, niſi ad actum Virtutis reducantur? Quæ verò maior eſt Virtus, quàm aliorum miſerias miſereſcere? Maxima eſt, tùm quia actus pietatis; tùm quia ijſdem caſibus natos eſſe nos prægnoſcimus. Vita diuinæ prouidentiæ muſicus chorus eſt, homines cantores, Deus ipſe moderator. Signo modò alto, modò medio, modò imo, nunc extollere, nunc ſuſpendere, nunc declinare affectuum voces nos admonet. Lætari nempe cum lætantibus; ſubleuari cum ſe ſubleuantibus, flere cum flentibus. Quin, & ip-

& ipſe plerunque concinit, *Diligetis vos inuicem, ſicut ego vos dilexi*. O beatum melos! O dulcem ſonitum! O vitalis vocem Sirenis! Sed o quot decepti Vlyſſes aures ſibi obturant, hanc harmoniam non intelligunt, ac tales voces effugiunt! Effugiunt, inquam, aut neſcientes multum leuaminis, quod poſſent gementi afferre, aut tam malitioſi, vt, quamuis ſcientes, in alienis ſolaminibus propria negligant beneficia. Non enim tantum alijs præſidij, quantum ſibi vtilitatis exhibet qui ærumnoſas aliorum procellas ſuorum Zephyris ſuſpiriorum ſcit ſedare. Vis tibi ante oculos ponã totius FAMILIO-

LAE iubilationem? Illam in SVIS excidijs inſpice. Hoc inſpecto, cerne etiam quos fructus ex alienis luctibus ridendo retulerint Mezentij, ac Phalarides, qui non niſi feritatis monſtra ſe oſtenderunt, dum in Taurinis, alijſq; ferinis molibus, tormentorum baſibus, ſuas fundarunt delectationes. E contrà verò erubeſce, Chriſticola, in admiranda Alexandri, ac Cæſaris, quamuis Gentilium, pietate, quorum ille transfixum Darium, hic decollatum Pompeium, vtrunque atrociſſimum hoſtem, non potuit non deplorare. Tandem diſce

Flendum in malo alterius paruo magis, quàm in proprio magno.

Tur-



Turpis ex fletu risus.

XLIIII.


„DIſce tuas lacrymas lacrymis miſcere ſodalis.
Flens flenti non flet, ridet at ipſe ſibi.



Et

Et benè, & malè parta.


XLV.



Palingenius.

. . . . *Meritam Fortuna frequenter*
Inferi pauperiem rebus fallaciter auctis.

Se



Se fraudat Fraus.

F*Elix cui ſatis eſt quod ſatis eſt*; Sic porrò quem beatum enumeres? Non pauci pungenti diuitiarum appetitu lancinamur. Tam diri vlceris anxietate acti deliramus. Ecquis proprio vt vulneri medeatur, aliena non multiplicet? Ecquis non paucas ſui primi ſanguinis vncias effundat, vt innumeras alterius ſecundi libras ad ſe extrahat? Sed quid tantùm de extrauenali conqueror? Nonne quotidie hic illi

(nec Chirurgus eſt) viam aperit, vt iniquæ cupidines inebrientur? O execrandam ſitim, o infanda pocula, ſimulq; o inauditam inſaniam! Igni ignis ſuperadditur. En inde, mi Homo, tanti ardoris quales effectus. Cor auri ardor conſumit; ardoris fumus mentem obcęcat. Hinc, vt cęci, abſque mentis lumine operamur, ac in IGNIS foueam tandem incidimus. Aliorum ruinis noſtras felicitates ſubſtruere opinamur, at noſtris opibus ſulphurea cunicula ſupponimus, nam cum malè parto, & benè partum malè diſperit. De hoc te ſatis moneant lacrymabilis iſtius OFFICINAE incendia.

FRAVS

FRAVS FOLLIS est igni ventum inspirans. Quæ ex immenso pecuniæ ardore producuntur, in fumum dissolui necesse est.

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.


Tu igitur benè sanus diuitem Curtij paupertatem consule, qui iniusto Samnitium auri fulgore suæ iubar gloriæ imminuere recusans, ne fœnus sui honoris funus fieret prudenter curauit. Nec non memento Agesilaum purissimum ignem iactasse, qui impura fœnerantium lucra combureret. Tandem scito, quòd *quæstus turpis thesaurus grauis est*; quòdque sicuti malorum societas plerunque bonos

perdit, ita etiam ſemper cum iniuſtè acquiſitis vel iuſtè acquiſita iuſtiſſimè dilabuntur. Cautè igitur, qualis qualis ſis, cumula, ne res, & auctorem perdas; nam

Iniquæ nunquam diuitiæ perpetuò manent.




Et



Et benè, & malè parta.


XLV.

EXcidio vt careas, nè cures æris aceruos;
In ſe nam tandem Sors grauis ipſa ruit.



Vna duce.


XLVI.



Io: Barchlaius.

Temerè affirmare de altero periculosum est, propter occultas hominum voluntates.

Vul-



Vulgum sequi ruere est.

QVi citò crediderit, falletur sæpè, leuisque
Est cordis,

veritatem in nomine gestabat qui protulit Verinus. *Nihil nisi quod in oculos incurrit, manifestumq; erit, crede.*

Calumnijs quisquis fidem præbet citò,
Aut ipse mente, moribusque est improbus,
Aut mente eâdem cassus, & prorsus puer.

Quæ ſemper mala credit Ονὖς ὁ δ' ἀυτὸς νῦν ἔχων ἐ τογχάνει. Crudelitas eſt cogitare quantum pretij credulitas hodie acquiſierit. O quoties quod nunquam veriſimile fuit vero exiſtimationem adimit, ac veritas ipſa cum falſitate comparata nedum pro veriſimili habetur. Hodierna prauitas cuiuſuis ſtellæ radijs vela credulitatis extollit, ac ideò ſæpè ſibi naufragium parat. E qualibet lutra piſtricem facit, ſic non immeritò ſemet plerunque deglutit. Audite, o nimium creduli. *Prudens nunquam decipitur, cùm parum, incautus ferè ſemper, cùm nimis credat.* Omni hoſpitio morari, eſt ſe quibuſcun-

que

que latrocinijs exponere. Hoſpitium omnibus dare, eſt velle latronibus ſe prædam exhibere. Quid non mali credulitas facit? Dum maledictum illius ſemen (licèt nullum eſſe deberet, cùm nec pene vllus ſit flos veritatis) in hominis terreno radices firmat, acerrimas lappas, ac tribulos parit. Quæ ex Nano apta eſt Gigantem facere, ſic Cęlo hoſtes multiplicans, non niſi inimica illi eſſe poteſt. Id faciens, dum infirmam rationalem oſtendit potentiam, parùm à brutis ſinit differre. Facilè credere non eſt credere, ſed credibili iniuriam facere. Eſt quippe ſe exponere periculo incredibile credendi.

Vt verum credere diſceretur, mentiri dediſcere oporteret. Sed hoc damnum eſt, quòd ex oppoſito Gentes operantur. Qui vult, vt credendum, credere, & ex bono, & ex malo homini, vt homo, parùm credat. Ex bono quidem, nam minimo laborat; ex malo, ne malitioſum ſe oſtendat. Ni fortaſſis dicendum foret, quòd ex hoc multum ſit credendum, vt parùm credatur, reſpectu maximi ad quod peruênit. O gemitu dignam calamitatem! Credulitatis peſtis ſic virus diffudit, vt illo omnium infecti ſint cœtus. Ad quod appoſitè Sapiens. *Et publicè & priuatè Maledicentibus creditur*. Et

ma-


malorum malum eſt, quòd malo tãtùm fides prȩſtatur. Alterius famæ infamis detrahat lingua, pro nefario ſtatim digito oſtenditur. Pro impuro taxetur hilaris obtutus, ſcortum in lupanaribus proſtat. Pro reo innocens vociferetur, crucifigatur, exclamant. Ab æmulo pro decoctore obmurmuretur fœnerator, viridi ſtatim pileo damnatur. Eruditus liuido dente Liber laceretur, illicò, *Ad alec*, reſcriptum ſonat. Heu vitioſam credulitatem, quæ, PECVDVM inſtar, præiudicioſè *Vna duce* in alterius ſententiam ruis! Mala de alijs credere paruæ ſcientiæ, ac prauæ conſcientiȩ certum eſt indicium.

Hoc venenum verò, cùm ſolùm particulariter offendat, diſſimulabile fieret, ſi non tolerabile, nî ad commune damnum Aulas quoque penetraſſet. *Oporteret, ut in illis vel Reges philoſopharentur, vel Philoſophi regnarent.* Nimiùm theoritices in falſi iudicio indigent qui, cùm Magni ſint, veritatis praxi omninò ferè carent. Credulitas ad aures Principis Cantatrix eſt, quæ tantùm Tragœdias repræſentat. Aures illi claudat oportet qui non vult ſanguini venas aperire. Qui id non fecerit, occaſionem Mundo exclamandi, *Magna credulitas in Principe facta eſt magna crudelitas*, præſtabit. Talem præbuit

ille

ille Anglorum Princeps, qui ſuam propter credulitatem, aditum Delatoribus non obtruncans, innumera innocentium Procerum capita obtruncauit. Non ſic Alexandri prudentia, qui per litteras monitus vt à Philippi medici veneno caueret, pro leuitate non minùs admonitionem, quàm chartam ipſam contempſit. Ex muſca ſtatim Elephantem facere damnoſum ſemper fuit; nam

Omnia ſubita probantur incauta.





Vna duce.

XLVI.

IN se iudicium, qui iudicat omnia, profert.
Hinc, ad credendum præcipitando, perit.



Cau-

Caula, non Aula.

XLVII.



Horatius.

Beatus ille, qui procul negotijs
Paterna rura Bobus exercet ſuis,
Forumque vitat, & ſuperba Ciuium
Potentiorum limina.

Non



Non ſeruit qui imperat, nec imperat qui ſeruit.

S*Tet quicunque volet potens*
Aulæ culminæ lubrico;
Me dulcis ſaturet quies;
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio,

cur dixerit Seneca optimè nouit, qui captiuam Aulicorum libertatem, ac liberam Ruſticorum captiuitatem minimè ignorabat. Non obſcurum fuit clariſſimo illi Ingenio, dum

Obſcuro poſitus loco

pro-

protulit, quòd minor fumus in angusto præsepio, quàm in vasta Regia, oculos captando, seruos reddit; quòd ille veram designat, hic solùm adumbrat felicitatem; & quòd illius fumositas tantùm è palpebris; istius verò & ex oculis, & ex cordis fibris lacrymas elicit. Edocuit, quòd vbi Aula ærumnarum est æquor, Rus agitationum est portus; nam tutiùs à calumniarum nimbis defendit laneorum crassities cucullionum, quàm sericarum subtilitas chlamydum; Tutiùs, quàm in marmoreis Arcibus, in vimineis viuitur casis, quippe quæ nunquam liuore, aut perfidiâ atrocissimis Hominum ho-

stibus

ſtibus proſternuntur ; ac tutiùs lactearum candor dapum, quàm exquiſitiorum ſuauis nigredo epularum guſtatur ; illæ enim colore præbentis indicant puritatem ; hæ condimentis venenorum plerunq; obtegunt turbationem . Oſtendit ſapientiſſimus ille Vir Agricolis in herba ſemper ſpes eſſe ; Aulicis autem inter malorum tribulos parùm creſcere; illis iucundo in gramine, iſtis funeſtas propè cupreſſus . Aſſeruit maiorem eſſe diuitiam diuitias contemnere ; Ruſtici libertatem commercij ruſticitatis ipſius rigorem demulcere ; & æſtimabiliorem eſſe aureis poculis liquidi claritatem argenti ; hoc nan-

que


que interdum prodigiosè in aurum ſolidatur, vt auari proditionum auctores in ſuis pereant criminibus. Quid tandem diuinis ſuis verbis, hac de re, nos non monuit? Oculis mentis, ſuâ forſan praxi, ſubiecit, Ruſticos Paſtores ſuas oues tondere, Reges verò greges deglubere; Oſtri magis fulgores, quàm Cœli fulgura terrere; ac inter Ruris amœnitates vnum tantummodo oſtium clauſum peiorem eſſe carcerem; at Aulæ inter fallacias centum apertas ianuas mille carceres ad venarum ſectionem claudere. Clarificauit illic tantùm amoris, hîc odij rixas exerceri; illic ingenia canoris rimis ſua-

ſuauè affligendo, hîc curarum limis atrociter animos deſtrugendo. Illic maiorem Principem, qui poſsit minari, Auſtri impetu eſſe Pinum; ac ſi cadat à gelu exardentibus lignis reparare; Hîc verò Reges vna tantùm Cilij declinatione totos alienæ iræ ardores in ſubditos concitare. Ac demum (vt hîc cernis) qui imperare videtur ſeruitij IVGVM cogi ſuſtinere; Qui verò alijs ſeruire creditur, alijs IVGVM imponere. O igitur miſericors Cordubenſis Calame, quantùm tibi tenetur humanitas! Tu paucis Verſiculis infinitas calamitates effugere integrum Orbem docuiſti. Docuiſti


(quod

(quod & Musonius asseruit, Mysonem, & Aglaum felices vocans ruri agentes) quod *Rus* non est *Crux*, vt illius sententiâ, sed seruitij adimit crucem; at bene quòd Aulâ ala libertatis impeditur, dum scriptum reliquisti;

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusque meliùs vita, quæ priscos colat,
Quàm quæ, relictis Mœnibus, Syluas amat.




Cau-



Caula, non Aula.


XLVII.

„ AVla vale, mihi Caula placet. Procul eſte Potentûm
Oſtra, magis rutilat Ruris apricus honos.



Si non bona, nec beneuolentia.


XLVIII.



Petronius Arbiter.

Cùm Fortuna manet, vultum seruatis Amici;
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Ami-



Amicos secundæ res parant.

NVlla fides unquam miseros elegit Amicos.

Quàm misera sit Mortalium felicitas, ex hoc disce. Secunda, aut aduersa sit Fortuna, semper damnosas efficit Amicitias. Si prospera; habes semper tineas, ac hirudines. Harum piscator pinguior prædacior est; illarum pannus nobilior feracior est. Si infausta, cadauer, & domus labans es. Illud pediculi ipsi, & pulices

ces respuunt; hanc mures, & vespertiliones quoque effugiunt. Idque eò lacrymabilius, quòd ex naturæ instinctu prouenit; vnde meritò ille

. . . . . *Semper o sortem asperam*
Cùm parcit, & cùm sæuit ex æquo malam!

Testis sit hæc inanis POPINA. Deest in tabulis nidor, fugiunt MVSCAE; nulla est succidia, abeunt FELLES; OLA non feruet, nec AMICI amore feruescunt. *Aduersa cui Sors huic Amici sunt procul.* O corruptas Amicitiæ leges! Anne id Amicum esse vocabitur? Amicitiam abolere potiùs dicatur. *In incertis*

cer-

certus discernitur Amicus. Non igitur talis est, qui in aduersis procul degit. Ad hoc peruênit Ætatis deformitas, vt nullum Interesse reperiatur, quod Amicitię habitu personam non induat. Optamus quidem Amico bona; sed vt tantùm etiam ipsi in illis partem feramus. Et id comprobat, quòd *Si non bona, nec beneuolentia*. Hoc autem non Amico, sed nobis desiderare est. Multos pariter videbis verborum prodigos, factorum indigos. Offerunt millies sanguinem ipsum; at si vna occasiuncula postulauerit, cadauera sunt.

Οὐδ' εἷς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

I nunc quęre Damonem, aut Nisum;


ſum; & ſi inueneris, portentum exiſtima; albo ſigna lapillo. Non paucos quidem reperies Pericles, qui cùm ſe tuo ditauerint (o crudelitatem!) te Anaxagoram inedia pereuntem ſuſtinebunt. Tu igitur vllius fronti nè credas; & meis vocibus aurem præſta.

*Creſcat, & decreſcat egeſtas, cre-
ſcent, & decreſcent Amici.*

Expertus loquor.




Si



Si non bona, nec beneuolentia.


XLVIII.

AVrum animos hilarans verus credatur Amicus.
Lydius eſt illi Sors inimica lapis.



Semper Vermes.


XLIX.



Nanquerius.

Quid iuuat, o Homines, tanto turgesce
fastu?
Nostrane de limo terræ processit origo?

For-



Fortuna non mutat genus.

R*Elinque ambitum. Timenda res est; vana, ventosa, & nullum habens terminum*, ait ille. *O miseri! Quid nos, doctrina, fama? Ipsi puluis, illa opinio, ista ventus*. Nos maximo mentem inuoluti fumo, corpus quoque maximo inuoluimus fumo. Auro sarcinati fulgere credimus, & magis obtenebramur. Id nobis vtile censemus, cùm vel viuentes pretiosè sepeliamur. Nec

Veſtes profectò illo rigidæ placidam poſſunt quietem permittere. Quò plùs enim aureis ditantur lamnulis, magis pungunt. Et quò oneroſiores, grauiores. Hęc eſt humanę calamitatis ſpecioſa calamitas, vt quæ proficua ſibi putat, damnoſa ſentiat. Tanta eſt tamen his diebus ambitûs dignitas, vt qui neſcit ſuperbire, neſciat viuere. Vt faſtûs efferantur, labores feruntur. Ipſi quoque Artifices cùm parum pecuniæ acquiſierint, ad ornamentum ſtatim diſponunt. Totis ferijs libenter exſudatur, dummodò feſtis ſplendidè incedatur. Gazarum fulgore natalium tenebras occulere quæritur; ſed fuman-


mantis faſtigij nigredine multiplicantur. Innumeri ſunt, qui Hunni præuertentes felicitatem *Omnia ſua ſecum portant*, cùm domi nihil habeant. Attamen licèt extrà felices videantur, Τά τ' ἔνδον εἰσὶ, τά τε θύραζε δυςυχεῖς. Quod nunquam fuerunt ab alijs iudicari deſiderant. Ignorant profectò iſti quòd velle eſſe quod non ſunt, eſt velle impoſsibile, & conſequenter velle deſtructione periclitari. Beatos ſe extrà videri volunt, quãuis intrà beatum eſſe conſiſtat. BOMBICES, licèt ſericis incluſi orbibus, *Semper Vermes* ſunt, nec putridam naturam deponunt. Errorem iam noſcite miſeri. Veſtræ

ſtatum conditionis nè curetis exſuperare. Pennas nido maiores extendere, eſt implacidam ſomni placiditatem perquirere. Qui ſua ſorte, non qui aliena opinione contentus viuit, beatiſſimus incedit. Lacerâ indutus tunicâ agros colat Pompilius, regalem meritò Muricem accipiet. Iouis habitu induatur Salmoneus, illius fulmina non euitabit. Ambitio ſui tormentum ſemper fuit.

Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.



Sem-



Semper Vermes.

XLIX.

SIt procul Ambitio fumans. Fumasse quid affert?
Heu nimium miſeri fumus, & aura ſumus.



A minimis interdum maxima.

L.



Catzius.

Omnia humana ludicra, & lubrica sunt. Ideò ex ludis etiam seria fas est præominari.

Puc-



Pueri nè tempſeris annos.

S*Vpremæ manus iocus eſt Orbis*. Illo, ludicrâ tanquam pilâ, vtitur Fortuna. Dum in aëra iactatur, quidquid continet ſubuertit. Qui modò in ſummo, nunc in imo; & qui modò in imo, nunc in ſummo.

Nullus vbique poteſt felici ludere dextrâ.

Hodie Polypercon in vituperio, cras in imperio. Hodie Polycrates in imperio, cras in vitupe-

rio. O vehementes mundani follis ſaltus, & lapſus! Ecquis tamen vos regit, niſi Fœmina abſque rationis vſu cęcutiens? Nemo igitur neget inconſideratos etiam hominum luſus altarum rerum potentia eſſe præſagia. Imò quò minùs ratione reguntur, maiorum ominum indicia cenſeantur. Puerilis quoque innocentia non parui momenti eſt Virtus. Dum circum puriora, ac ſimpliciora verſatur, nobilior ſcientia eſt; ac vt talis, quo in ſubiecto eſt, quamuis ſine cauſarum cognitione, illius quod futurum eſt præcognitionem, ſi non diſtinctè, ſaltem confusè indicat. Ex pueri inclinatione,

quod

quod iter ſuſcepturus ſit facilè præuidetur; Anima enim rationalis, quæ, vt diuinitatis particeps, rerum præſcia eſt, prodigiosè illum flectit ad ſemitam, quam poſtea ratione ductum proſecuturum præcognoſcit. Sic illud verificatur; *Protinus apparet quà plantæ futuræ ſint frugiferæ.* Nec omninò inutilis iudicetur horum nugantium PVERORVM repræſentatio, qui ioculatoriè maieſtatem, & ſeruitutem ſibi alternant. Id factum eſt, prudens Lector, ne res in mundo quales videntur credas, nam ſi ſemper veritas apparentiæ, apparentia tamen veritati plerunque præualuit. Quot legimus, qui-


bus puerilis arundo in Sceptrum conuersa est? Quot alijs gramineæ coronæ gemmantia diademmata germinarunt? Quotq; breues tunicas in longas chlamydes transmutarunt? Cyrus, ac Romulus in lusu à pueris Reges creati sa is luculenti testes esse poterunt. Quot verò è contra palatia in tuguria, populos in greges, & aulas in caulas permutauerint, quod etiam infantiles gesticulationes illis presagierunt, consultò prætereo. Solùm hoc moneo, quòd *Omnia humana ludicra sunt.*



A minimis interdum maxima.


L.

„LVdit in humanis diuina potentia rebus;
Hinc Puerûm lusus grandia sæpè notant.



Fabulam diſtinguit exitus.

L I.



Plautus.

Nihil eſt homini perpetuum bonum.

Finis



Finis coronat opus.

A*Eternum mortale nihil.* Transitorium THEATRVM est Mundus. Nil firmius in se retinet, quàm assiduè scenas præcipitanter euoluere. Neque pulcrius quidquam in eo conspicitur. Et quæ tantùm cernitur,

Heu mihi quàm leuis est, & quàm breuis illa voluptas!

Histriones sumus miseri Homines. Quisque nostrum diuersam induit personam. Sed o solùm felix qui dignè gradum, quem fin-

fingit, repræſentat! Satis videmus vnumquemque proprium locum occupare, ſed non ſatis lugemus ferè nullum perſonam actibus decenter comitari. Qui opulentum, qui pauperem, qui nobilem, qui abiectum, qui ſubditum, qui regnantem, qui indoctum, qui ſapientem, non pauci quæ infingunt, impropriè effingunt. Ah ſi vltimum ante actum ſemel tempeſtiua habituum fieret commutatio, qualis ordinata eſſet confuſio! At inuicem ſolemur. Qualis, ac vtcunque ſit, breui durat repræſentatio. Quàm valdè prouidus fuit diuinus ille Tragicomœdiæ iſtius, quę *Mortalis* inſcribitur *Miſeria*, ac Theatri

tri, quod *Orbis* dicitur, Con-
ſtructor! Rotundum id fecit, vt
omnia ad nihil priſtinum reuer-
tenda oſtenderet; pinxit, vt cun-
cta apparentia dignoſcerentur;
Palatia, ac caſas ſe intùs mutuò
inſpicientes er xit, vt nihil occul-
tum diu ſtare patefaceret. Variâ
cogitationum architecturâ, cu-
piditatum viridarijs, & homi-
num ſtatuis decorauit. Ac ne
cęcè vagarentur Spectatores,
duorum Lychnis Luminarium
illuſtrauit. In fabulæ verò com-
poſitione, in hac maximam ſuæ
admirabilis ſapientiæ partem
collocauit. Hanc omni perfe-
ctione inſigniuit, licèt multis ap-
tam ex oculis nimbos elicere
Pleia-

Pleiadem euadere videamus. Sipario demiſſo, vt Cunæ exponerentur conſtituit; in primo ſcenarum volutatu Labyrinthos effinxit; in vltimo Sepulcra ordinauit. Prologum Fletui commiſit. Priores actiones Querimonijs, Lacrymis, ac Vagitibus; Amori, Fortunæ, Honori medias; Morbo, Spei, ac Tremori extremas præſcripſit. Vt ſuis ornaretur Choris, dulcioribus Alitum vocibus ſuauificauit. Neue intermediorum deficerent blandimenta, varijs Animalium ſpectaculis recreauit. Tandem, ne in fictionem fabula terminaret, tragicum Suſpirium toti finem imponere ſtabiliuit. Nunc igitur

tantæ repræſentationis ſpectatorem te facias, Mortalis;& diſces quòd

Aeterno mixtum luctu mortalibus æuum
Olim conſtituit diuum pater, atq; hominum rex.

Et dum tempus patitur, fac vt, pro viribus, Nerij, Loiolæ, Franciſci Xauerij, ac Iohannis-boni Bonomij (beato è cuius Stipite me indignum, atque aridum ramum pullulaſſe erubeſco) actiones ediſcas, qui amariores euentus in dulciora gaudia poſſe conuerti hoc in Theatro futura ſecula edocuerunt. Mi Homo, ex Fabula hoc verum trahas. *Tu ſurge, tu cade; tu impera, tu ſerui; tu occul-*

occultare, tu emerge; longæuum aliquid in hac Machina, nihil æternum. Tandem (& cum hoc ad Portum ſilentij mea prior hæc appellit Nauigatio)

Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas,
Et Scenæ imago, &, verbo vt abſoluam, nihil.



Fa-



Fabulam distinguit exitus.

„EXitus acta probat. Mundi nè
„ crede Theatro:
Infausti hi fastus deniq; fumus erunt.

FINIS.

Πόνος εὐκλείας πατήρ.



CA-

CATHOLICAE MENTIS PROFESSIO, AD LECTOREM.

Merito, ac Virtuti, Candide Lector, debita ſemper obſequia in ſuis Scriptis ſe contuliſſe Auctor declarat. Ideò ſi aliquantiſper interdum queri videretur, in genere, nullo prorſus individualiter tacto, Vitiorum ſectatores, ac Virtutum perſecutores redarguere intendit. Quoad Prin-

cipes,

cipes, de Fidelibus, vt boni bona; de Gentilibus verò, vt mali, mala se manifestat edidisse. Pariter si aliquo in vocabulo, aut sensu à Christiana Fide (quod neque penitus cogitauit) aberrare censeretur, te exorat, vt omnia sua iuxta Orthodoxæ Religionis leges interpreteris; Melior quippe Christi cultor, quàm Emblematum Scriptor haberi desiderat. Grato interim animo qualescunq; hos labores intuere, & sic non solùm secundæ aditū Nauigationi *recludes; sed*

quoq; ad Opus inſcriptum,

MONARCHIA APOLLINIS,

EXTENSA

IN

Cyprim, Romam, Cordubam
Palæſtinam, & Athenas,

PER

Amantium, Heroum, Sapientium
Sanctorum, ac Diuerſorum
Iconas eniteſcens,

Typis committendum, ac pa
riter vt ab ipſo (nec fortaſ
ſis multùm poſt temporis

DE-

DEMOCRITI HERACLITIQ;


MORALES

RISVS, ET FLETVS

(opera, exceptis imaginibus, iam completa) in lucem emittantur, Auctorem deuincies. Omnium pater tempus. Στέργε τῖς παροῦσι. *Vale.*




Posteriores cogitationes ſapientiores.



AD EVNDEM.

HOc iter ex multis primum est. NAVARCHVS adibit,
Si tuus, Eurus erit, LECTOR amice, fauor.



NAVARCHI ARGONAVTÆ.

A

ADrianus VI. Pontifex.
Æſopus.
Alciatus.
Aldrouandus Bonon.
Alexander Simoneta è Soc. Ieſu.
Amianus.
Andreas Marianus Bonon.
Andreas Taurellus.
Angelicus Aproſius.
Angelus Grillus Abb. Caſin.
Apuleius.
Ariſtoteles.
D. Auguſtinus.

B

BEda.
Berlingerius Gypſius Sen. Bon.
D. Bernardus.
Bernardus Morandus.

Bion.
Bocchius Bonon.
Boetius.
Borbonius.
Boterus.
Byllius.

C

CAmerarius.
Cappacius.
Carcinus.
Carolus Ant. Co. Manzinus Bonon.
Caſſiodorus.
Caſtorius.
Catullus.
Cauſinus è Soc. Ieſu.
Chryſippus.
Cicero.
Claudianus.
Claudinus Bonon.
Cornelius Tacitus.
Cyprianus.
Cyrus de Pers Eques Hieroſol.

D

E

F

G

Gaudentius.
Gellius.
Glisientus.
Gruterus.
Guidus Casonius.
Gulielmus Dondinus è Soc. Iesu Bon.

H

HEraclitus.
Herodotus.
Hesiodus.
D. Hieronymus.
Hieronymus Co. Gratianus.
Hieronymus Pretus Bonon.
Hippolytus Grassettus è Soc. Iesu.
Homerus.
Horatius.
Hyppocrates.

I

IAcobus Catzius.
Iohannes Argolus.
Io: Bapt. Capponius Bonon.
Io: Bapt. March. Manzinus Bonon.
Io: Bapt. Co: Montalbanus Bonon.

Io:

L

M

Mar-

San-

T

V

X

Z

FINIS.



Vid D. Iuuentius Tortus Pœnit. Cleric. Regul. S. Pauli, pro Illustriss ac Reuerendiss. D. Hieronymo Boncompagno Archiep. Bononiæ, & Principe.

P. Pellicanus Canon. Lateran. videat, & referat.

Fr. Io. Vincentius de Paulinis Magister Inquisitor Bononiæ.

Sat nunquam videnda, sat nunquam efferenda vidi, & refero, Reuerendissime Pater F. Io: Vincenti de Paulinis, Magister, ac Inquisitor Bononiæ. Atque immortales quidem pro Commissione refero tibi grates; Immortalitatem quippe ipsam in Morali hoc Opere, *Chiron Achillis, siue Nauarchus humanæ Vitæ* inscripto, datum fuit & mirari, & admirari. Et profectò ipsà digniorem vita ipsum Emblematistitem Excellentiss. Virum *Io: Franciscum Bonomium* existimo, qui ad veræ portum Vitæ, & felicitatis, gloriosissima Ingenij sui Argo, solertissimis Emblematum remis, peruenire Orbem docuit vniuersum. Cùm itaq; ad Catholicæ Fidei Cynosuram semper vertisse, nec vnquam in scopulos aut verborum, aut sensuum Orthodoxæ Religioni repugnantium incidisse hunc Nauarchum inspexerim, hinc aureo Typorum vellere decorandum censeo, ego infrascriptus

D. Theodosius Sanutus Pellicanus Sac. Theol. Doct. Coll. Canon. Reg. Later.

Imprimatur.

Fr. Io: Vincentius de Paulinis Mag. Inquisit. Bon.